


05 A 444

05

A

444





L. N. J.

DISPUTATIO EXEGETICA

In

CAP. VIGESIMUM PRIMUM

& ULTIMUM EVANGEL.

D. JOHANNIS.

PRÆSIDE

Dn. WILHELMO LYSERO, D. & P.P.

*placide ventilationi exhibita*

à

M. JOHANNES ERNESTO GERHARDO, Jenense.

*Ad diem 30. Septembris, loco & horis  
consuetis.*

WITTEBERGÆ

Litteris Johannis Röhneri, Acad. Typogr.

Anno M. DC XLVI.

V I R O

*Reverendo pl. atq; Clarissimo,*

**DN. MATTHÆO SCHMOLLIO**

Theologo eximio ac de Ecclesia Christi  
egregiè merenti,

*Nec non*

Ecclesiæ Orthodoxæ apud Ratisbonenses  
Pastori vigilantissimo.

*Dn. Fautori ac Patrono sincero honore  
ac amore perpetim prosequendo,*

Exercitium hoc Theologicum constantis  
ac perennaturæ adfectus pignus

*exhibet*

**M. Joh. Ernestus Gerhardus Jenensis.**



05 A 444

I. N. J.  
DISPUTATIO EXEGETICA  
In  
CAP. XXI. EVANG. JOHAN.

THESIS I.



um præsens hoc Caput non minus, quam  
antecedentia D. JOHANNEM, veridicum illum  
secretorum divinorum Interpretem, agnoscat  
auctorem, (quod contra *ἀνονόμους* illos, qui  
moti forsan præcedentis Capitis clausulâ, non  
â Johanne Evangelistâ, sed ab aliquo alio Evan-  
gelicæ historiæ Caput hoc adjectum esse existi-  
mant, è Capitis hujus commate 24 tum etiam, quòd præceden-  
tis Capitis conclusio non generalis sit, sed specialis, respi-  
ciens *πρώτως* ad geminam illam CHRISTI *Φανέρωσιν ἐνώπιον τῶν  
μαθητῶν αὐτῆς*, colligi posse putamus,) haut abs re facturum me  
credo, si pressam hæcenus in laudati Evangelistæ Historiâ Evan-  
gelicâ enucleandâ, & *ἐπερροδῶν* interpretatione falsâ refutandâ  
viam sequar, hujusq; ultimi Capitis brevem etiam *ἐξήγησιν* insti-  
tuam. Quoniam autem

altum sunt æquor sancti mysteria verbi,

hoc in ne mergar, Tu bone CHRISTE juva!

En natat hæc elephas, ovis interit ipsa petulca,

fac igitur ducat Spiritus ille bonus!

II. Causa, quæ Evangelista noster historiam hanc de  
Christi apparitione Evangelio suo, quod finivisse jam è præced.  
Cap. v. ult. quodammodo videbatur, adjungere voluerit, non hæc,  
uti *Contzenio* Jesuitæ videtur, *primaria est, ut ostendat, quisnam  
fuerit constitutus Apostolorum Princeps*, sed ut cumulo & quasi ma-  
gnâ vi hujusmodi Divinorum signorum confirmet, quod v. penult.  
cap. præced. dixerat: *πολλὰ καὶ ἄλλα &c.* tum etiam, ut demon-  
stret, Salvatorem nostrum sponsonem suam complevisse ac pro-  
missum, quod tale legitur *Matth. 26, 32. ac Marc. 14, 28. μετὰ τὸ  
ἐξερθῆναι με πρὸς ἕω ὑμᾶς εἰς τὴν Γαλιλαίαν.* ac deniq; ut ostendat,

A 3

quomo-

quomodo Dominus Petrum in Apostolicum munus, è quo trinà abnegatione exciderat, trinà confessione restitutum confirmavit, illumque sicuti & alios Discipulos muneris Ecclesiastici admonuerit.

III. Connexionem historiae s. Capituli hujus cum præcedentibus ostendunt verba μετὰ ταῦτα, quæ quidem non tempus proximè præcedens, uti B. Augustino vitum fuit, nec etiam tempus adhuc quodammodo durans, quâ quidem in significatione præpositionem μετὰ alibi quandoque occurrere, adnotarunt CL. Viri ac Præceptores mei πρὸς τὰ ἑκάστα observaadi, *Glassius & Dilbertus*, ille Gr. S. lib. III. tr. 6. hic Elect. lib. I. c. 19. sed tempus aliquanto remotius, non tamen nimis longè distans nobis hoc loco insinuant: quâ etiam significatione alibi, nim. C. 1, 12. C. 3, 22. &c. nostrum præpositionem μετὰ adhibuisse, docet B. meus *Parents* ad h. l. p. 342. Loquitur igitur Evangelista de tempore resurrectionem secuto, & postquam Hierosolymis, ubi bis Dominus ipsis apparuerat, Discipuli in Galilæam sese contulerant, quomodo etiam Ecclesia Græca in Liturgiis s. Eclogis, quarum è Biblioth. Reip. Norib. copiam mihi olim faciebat Ecclesiæ ejus loci ornamentum singulare Dn. *Joh. Saubertus*, accipit, dum Historiam hanc ita orditur: Ἰφάνερωσεν ἑαυτὸν ὁ Ἰησοῦς τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ, ἐγερθεὶς ἐκ νεκρῶν ἐπὶ τῆς θαλάσσης τῆς Τιβεραϊδος. Immo ipse Evangelista nosse sat clarè hoc ostendit Cap. hujus v. 14.

IV. Præter itaque necessitatem faciunt, qui ut historiam hanc præcedentibus adnectant, arcessunt ex Matth. cap. 28. comma 16. non quidem integrum, sed saltem hæc: οἱ δὲ ἑνδεκά μαθηταὶ ἐπορεύθησαν εἰς τὴν Γαλιλαίαν. Dixi, præter necessitatem: ostendit enim partim adducta phrasis, partim v. 14. quo historia præsens contigerit tempore. nec præmittit etiam verba isthæc allegata ullus, quantum novi, *Codex Græcus*, sicuti etiam non agnoscunt h. l. eadem Interpretes *Syrus* ac *Arabs*, ut de *Latinis Codd.* jam nihil dicam. Nullam quoque hinc cerno causam sat gravem, quare v. ultimum & penult. Cap. præced. nonnulli demant, & huic præmittant.

V. His prælibatis Capituli mihi propositi brevem hanc ac concinnam facio dispositionem. Consideranda nobis nimirum exhibentur

hibentur ab Evang. I. adparitionem Christi antecedentia, sc. Discipulorum, quorum septem recensentur v. 2. consilium ac voluntas de piscaturâ faciendâ, ejusdemque expeditio & infelix successus v. 3. II. adparitio ipsa, sed Discipulos latens v. 4. inque hâc tùm Christi quæstio ac Discip. responsio v. 5. tum etiam consilium, & felix piscium captura v. 6. III. Christi agnitio v. 7. ac Petri fervor ibid. it. reliquorum discipulorum v. 8. IV. Discipulorum ad Christum adventus v. 9. & prædices piscium captura v. 11. quomodo à Christo ad prandium invitati v. 12. prandium ipsum v. 13. V. Post prandium, Christi cum Petro colloquium, & trina ovium commendatio, trinam amoris testificationem secuta v. 15, 16. & 17. mortis ac martyrii prædictio v. 18. & 19. VI. Petrus ad Johannem se convertens v. 20 deque morte ejus Christum interrogans v. 21. VII. Christi responsio v. 22. sinistrè à Fratribus intellecta, falsaque opinio ab Evang. correctâ l. 23. VIII. de Evangelii hujus veritate testificatio. IX. ejusdemq; conclusio.

VI. Qualia aliquando corpora nostra glorificata post resurrectionem nostram ἐν ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ futura credimus speramusq; h. e. πνευματικά, docente Apostolo 1. Cor. 15, 44. & per consequens ψυχικαῖς s. corporeis his oculis, in naturali proprietate consideratis, nec speciali quodam modo & superiori irradiatione illuminatis, minùs visibilia: ita quoque, imò multò magis cum glorioso & sacrosancto corpore Domini ac Salvatoris nostri, qui ἀπαρχὴ τῶν νεκροκλήτων ἐγένετο v. 20. post resurrectionem comparatum fuisse, prorsus apud nos indubium est, idq; insinuare hoc loco verbum ἐφανερώσει, observavit nobilis illa Patrum Græcorum biga, *Chrysostomus ac Theophylactus*. Hinc non semper Discipulorum aliorumq; id expositum fuisse oculis, ex Evangelicâ historiâ discimus, sed tum saltim, quando de lætissimâ & salvificâ resurrectione suâ Discipulos aliosq; fideles reddere certos ac confirmare, itemq; de salute illorum per ipsum, plenariâ suâ obedientiâ, partâ, informare Salvatori nostro placuit.

VII. Vocatur visibilis hujus præsentia Christi post resurrectionem exhibitio ac demonstratio ab Evangelista nostro itemq; D. Marco φανερεῖν, i. e. adparere, manifestare, patefacere, clarè ostendere, innuiturq; quoddammodò verbo hoc, quòd non per φανέρωσα aliquid,

A ξ

liquod,

v. 1.

liquod, quod adparere *Φανταζεω* aliàs dicitur, Christi adparitio fuerit facta, sed quòd reverà naturale suum verumque, attamen glorificatum corpus Discipulis suis conspiciendum JESUS noster præbuerit. *ἐβδομήκοντα* verbo hoc utuntur Jer. 33, 6. pro Ebr. *ה'ל'ז* quod propriè significat *volvere ad nos, seu in sensum nostrum*, it. *patefacere, revelare*. Syrus reddidit per *Ⲅⲁⲛⲟⲩⲛⲟⲩ* *monstravit, ostendit seipsum*, quemadmodum & Luc. 24. v. 40. pro Græco *ὕποδεικνυμι* adhibuit. *Arabs* utitur h. l. verbo *Ⲁⲓⲛⲉ*, quod in Conj. 1. *splenduit, illuxit, claruit, adparuit*, notat, it. *manifestavit se*, quæ tamen significatio sæpiùs in Conjug. 4. obtinet, & in hâc etiam verbo hoc usus est *Abu El Ula*, Poëta *Arabs*, quem luci dedit *J. Fabritio*, in elegantissimo carm. de *contemptu mundi* v. 60. Passivū *Φανερεῖσθαι* legitur Marc. 16, 12. quod similiter per passivæ Conjug. verbum, nim. *Ⲅⲁⲛⲟⲩⲛⲟⲩ* i. e. *visus est, apparuit*, uti vertit *Spanhemius* D. E. Part. 2. p. 462. expressit *Syrus*. Sed nolumus longiùs his enucleandis immorari.

IIX. Id verò occasione hujus verbi addendum ducimus: minùs rectè exinde, quòd Christus non semper corporeis his oculis conspiciatur, ideò secundùm humanam naturam ipsum omnipræsentem nobis non esse, à Calvinianis concludi. Ut enim clarissima Scripturæ dicta pro Christi *θεανθεω* omnipræsentia jam non urgeam, refellit sanè ostenditq; consequentiæ Calvinisticæ infirmitatem corporum glorificatorum *ψιλῶν ἀνθρώπων* natura, uti supra §. VI. ostensum, & prolixè defensum ab acutissimo Theologo, *Dn. D. Meisnero* b. m. Nec etiam, nisi cum limitatione *visibilis presentie* verum est, quando *CL. Hugo Grotius* ad verbum *ἐφανερωσεν* addit; *boc ideò, quia non jam ut ante perpetuò cum Discipulis erat*. Paria habet ad Joh. 13, 33. quibus calculum nostrum addere non possumus, nisi restrictio *visibilitatis* adjungatur: absolutè enim, nec ratione visibilitatis habitâ semper Christus Discipulis suis etiam secundùm humanam naturam præsens gratiosè fuit, jam v. etiam semper nobis præsentissimus h. e. potentissimè *θεανθεω* in cælo ac terrâ regnat: id quod tum ex arctissima & indissolubili unione, ceu fundamento, tum etiam clariss. scripturæ dictis confirmare possemus, nisi jam tum ab aliis abundè hoc esset præsti-



præstitum. Vid. *B. Par. Exeg. Loc. IV. p. 135. & seqq. Dn. D. Chemnitium* in peculiari tractatu de unione hypost. & communic. Idiomat. Dn. D. *Erasm. Brochmand. articul. de Christo Jeav. g. cap. 9. sect. 9.*

IX. Laterem itaque lavat *Beza*, quando ad h. l. scribit; *verbo hoc in presenti historia significari Christi corporis veram & in oculos insurrentem exhibitionem, oppositam Ubi quit ariorum* (ita Lutheranos per contemptum vocat Calvinista, Christi secundum humanam quoque naturam omnipresentiam docentes) *presentia*. An igitur visibilis exhibitio corporis Christi, *Discipulis ὁμοιομικῶς* ad faciendam resurrectionis fidem tum hinc, tum alibi etiam quandoque facta, invisibilem ac omnipotentem carnis Christi tollit omnipresentiam? ἀτοπον!

X. Non verò videmus, quomodo cum reliqua *Beza* & socienorum eius doctrinâ conveniat, quando adductis porro subjicit, *factam esse hanc corporis exhibitionem* (ita *Beza* mavult adpellare, quam *manifestationem*, ne sc. invisibilem carnis Christi presentiam, quæ hominibus his sudes est in oculis, statuere videatur) *ad veram tuendam hypostaticam unionem 1 Tim. 3, 16.* Si hypostatica unio humanæ ac divinæ naturæ in Christo vera est, & non κατὰ δόνησιν Marcionitarum facta, quod rectè adserit *Beza*, quâ quæso ratione realis etiam idiomatum communicatio, & lic quoque omnipresentia carnis Christi in dubium vocari à *Beza* potest? certè adeò propè & arctè hæc cohærent, ut concessâ verâ unione hypostaticâ, idiomatum quoque realis veraque communicatio necessariò statuenda, & hæc negatâ, illa quoque omninò censeatur negari.

XI. Damnatus hinc meritò à Concilio Ephesino Nestoritus, licet non κατὰ τὸ πρῶτον duas in Christo personas statuerit, ceu ex verbis ipsius, quæ *Tom. 1 Concil. edit. Bini p. 821.* adducuntur, liquidò apparet; attamen quia veram realemque Idiomatum communicationem ipse negavit (atque hoc ipsum Calviniani etiam agunt) inde Patres in Concilio laudato rectè pronunciarunt, *quòd UNITATEM personæ solveret*, & ob hæresin hanc ipsum jure anathematizarunt. Subolens dubio procul hoc *Beza*, haut addere voluit: *factam esse hanc corporis Christi exhibitionem, ad NestorI hæresin refellendam.* Forfan ipse non ignoravit, in eodem se suosque consortes cum Nestorice hæerere luto.

XII. Ut

XII. Ut ut verò verbum *Φανερόν* vi suà simplicem tantùm importet manifestationem, nihilominus, cùm ex subjectà historià constet, Christum verè divinà hìc perpetrasse miracula, non incongruè adseritur, insinuari h. l. per illud, quòd Servator noster non tantum resurrectionis suæ veritatem, sed etiam divinam suam majestatem, humanæ naturæ communicatam Discipulis suis *σημείους* certissimis demonstrare & ostendere voluerit, quemadmodum etiam sensu hoc, ut nim. majestatis cœlestis manifestationem comprehendat, alibi occurrit. Vid. Col. 3, 4. 1. Petr. 5, 4. Conf. B. Par. comm. in Post. Petri p. 719.

XIII. Præcessisse manifestationem seu apparitionem hanc aliam, constat tum è v. 14. tum quoque è particula *παλίμ*, quæ licet in Eclogis Græcæ Ecclesiæ, quarum §. III. mentio facta, omittatur, & alibi etiam in Sc. S. sicuti apud Syros *ܕܘܠ* & Rab. *בש* aliquando tantummodo *additiva* sit, quòd ultrò *Cameroni* largimur, *δουψήφως* tamen eandem agnoscunt *Græci* pariter ac *Latini* N T. Codd. Interpretes item sat vetusti *Syrus ac Arabs*. Præter rem verò hìc scrupulosus est *Maldonatus*, quomodo manifestatio hæc *παλίμ* facta possit dici, cùm tertiam eam vocet *Evangel. v. 14.* at *παλίμ* idem sit, quòd secundò. Lubricum sanè fundamentum, & dubitandi ratio, quæ Jesuitæ acumen requirat! Evolvatur saltim 13. cap. Matth. v. 45. & 47. C. 12. Marc. v. 5. C. 14, 70.

XII. Varias præpositionis *ἐπι* in Sc. S. significationes summo & accurato studio collegit *Dn D. Glasz*. Gr. S p. 540 & seq. è quibus tertia loco huic maximè videtur nobis idonea, ut nim. *ἐπι τῆς θαλάσσης* idem hoc loco sit, quòd *ἐπὶ τῆς θαλάσσης* Matth. 13, 1. Præterquam enim, quòd LXX. dictione hæc non semel pro *ἐν* (cujus inter alia significata hoc quoque non postremum est, quòd *juxta* notet. vide *Dn. D. Glasz* l. c. p. 516. & 517 B. meum *Parentem* Comm. in Gen. p. 192. 810.) utantur, *Syrus* quoq; per *ܕܘܠ* & *Arab.* per *ܕܘܠ* reddant, eadem etiam significatione invenitur *Matt. 21, 16.* cui loco à *Glaszio* adducto, alii addunt *Joh. 4, 6* Arridet certè acceptio hæc Interpretibus plurimis, iisque doctissimis.

XV. Qui

XV. Qui verò Tiberiadis *stagnum*, *θάλασσα* vocatur: notum enim tum è S. litteris, tum è Geographorum, veterum ac recentiorum, quibus adde *CL. Schickardum* מ"מ p. 111. descriptione, quòd *λίμνη* sive *lacus* aut *stagnum* saltim fuerit? Respondemus, fieri id phrasi Ebræorum, qui omnes etiam paullo majores aquarum collectiones *MARIA* adpellant. Loca è Scripturà S. præter Lexicographos exhibent *B. meus Parens* comm. in *Genesis*, *Drusius* lib. 2. *Animadv. C. 38.* Nec in scriptis Rabbīnicis prædicta vocis acceptio insolens est: Sic à *Benjamino Tudelensi* lacus prædictus כנרת vocatur, & stagnum *Sodomæ* חמלה ים: hoc sensu etiam in *Bava Batra* f. 74. dictio hæc sumitur, quando verba *Psal. 24, 2.* יסרה ימים על ad terram *Israelis* accommodantur, & lacus hic inter *septem maria*, quibus *terra Israelis* circumdata ibi dicitur, enumeratur. *Syrus* itidem vocem ex Ebr. ים formatam h. l. adhibuit, *Arabs* v. dictione כחור usus est, quæ juxta *Schindlerum* tum *mare*, tum *lacum* & *piscinam* notat.

XVI. *Τιβεριάδης* v. *θάλασσα*, lacus ille hic, ut & suprà C. 6, 1. ab Evangelista vocatur à civitate, quam *Herodes Tetrarcha*, in amicitiam à *Tiberio* receptus, exstruxit, inq; *Cæsaris* modò nominati honorem *Tiberiaden*, à nomin sc. Imperatoris *Tiberii*, non verò, quòd ארץ של בטיבורה, vel quòd ראתה, uti *Talmudhici*, *Buxtorffio* teste, *ετυμολογίζουσι*, insignivit. Antiquitùs enim כנרת ים stagnum hoc adpellatū fuisse è *Num. 11, 34.* discimus, mutatum inde ajunt quidam nomen hoc, ut fors hæc progressu temporis non paucis evenit vocabulis, in γεννησαρ, sicuti in *Antiquitatum Jud. Scriptore* lib. 3. B. J. Cap. 17. & lib. 18. A. J. C. 3. legitur, quâ etiam adpellatione *Syrus* *Matth. 14, 34* *Marc. 6, 53* *Luc. 5, 1.* utitur, nec non *Arabs* locis modò citatis, nisi quod n non geminent; & γεννησαρ, uti in *Historiâ Evang.* invenitur; Videantur omninò excellentissimi Viri, *Dn. D. Salom. Glasius Gram. S.* pag. 787. & *Frideric. Spanhamius Dub. Evang. Part. 2. p. 608 & seqq.* Ortum trahit stagnum hoc è *Jordane*, fluvio notissimo, quod præter nostratium tabellas geographicas *Benjaminus* quoq; *Tudelensis* המסעות בעל magnaq; apud *Apellas* auctoritatis *Judæus*, tale enim de eo in *Juchasin* extat elogium חמלה ים אשר זרח לנו שמו לכל ישראל nos docet, cujus verba huc facientia non

B


pigra-

משם צפוריה פרסאורא פִּיגְרָבֹרֶעֶס *Itiner. adscribere*  
 לְסִיכְרֵיהֶּ הַיּוֹשֶׁבֶת עַל הַיַּרְדֵּן הַנִּקְרָא יָם כְּנֶרֶת וְשֵׁם  
 נֹפֶר הַיַּרְדֵּן וְשִׁפְךָ יָם הַטֵּלָה אֶל אֶרֶץ הַכְּנֶרֶת  
*Inde Zippori quinq; confectis parasangis Tiberiadem veni, Jardeni im-*  
*minentem: ubi Jarden dicitur mare Cinnereth, magnog; fluens impe-*  
*tu effundit mare salis in terram planitiei. Cæterum accuratam lacus*  
*hujus descriptionem qui videre desiderat, adeat Strab. lib.16. Plin.*  
*lib.V H.N.C.15. Egesippum lib.3.C.26. quibus omninò etiam ad-*  
*jungatur Buxtorff. Lex. Talmud. Rabb. rad. גַּנֵּס.*

XVII. Cùm Marcus & Lucas de miraculis Christi agentes, ea  
 potissimum tradant, quæ ab Apostolis aliisq; , qui talium specta-  
 tores fuere, acceperunt, Johannes verò, utpote singulariter Chri-  
 sto dilectus intimæq; , ut ita loquar, admissionis amicus, supra  
 pectus Domini in coenâ Sacrosanctâ recumbens, facta & στυεία  
 Salvatoris nostri testis ἀναπίης referat, inde non sine causâ præ il-  
 lis omnes penè circumstantias adnotasse, censendus est, id quod  
 indicat quodammodo hîc particula ἔτι, quam religiosè Syrus &  
 Arabs retinere. Nec prætermittere hoc loco possumus, quòd  
 ἔτι aliquando in Sc. S. magnitudinem rei & præstantiam εὐφρανῶς  
 exprimat, quemadmodum in tali significatione, juxta Dn. D. Glas-  
 sium apud Evang. nostrum C. 3, 16. & C. 7, 46. occurrit: Johannem  
 igitur eo ipso hîc excellentem atq; præclarissimam Christi appari-  
 tionem, nec non historiam piscationis mysticè etiam intelligi de-  
 bere, indicare voluisse, piè existimamus.

v. 2. XLIX. Ostendit, v. Evangelista etiam apparitionis occasionem,  
 dicitq; , quòd Discipuli, quorum nomina maximam partem statim  
 subjungit, ὅσοῦ fuerint. Syrus emphaticè reddit ἅμα simul,  
 ad unum, ὅμοθυμαδὸν ἐπὶ τὸ αὐτὸ, quemadmodum pro hac Gracâ  
 phrasi voce illâ usus est Actor. 2, 1. ut summam discipulorum  
 horum non tam quòd eandem patriam, sed magis, quod  
 eandem in Servatorem nostrum fidem habeant, conjunctio-  
 nem insinuet. Arabs tamen, nescio quem secutus codi-  
 cem, vocem hanc planè omittit. Locum autem ubi tum dege-  
 rint, non exprimit, sicuti nec v. 3. Patet tamen quodammodo è  
 verbo ἐξ ἡλιθῶν, quo Evangelista commate 3. utitur, in civitate  
 aliquâ vel domo, in Galilaâ sc., quo se, Christo Angeloq; juben-  
 tibus

bentibus, contulerant, eosdem fuisse congregatos. Probabile est *Bethsaida*, quæ Petri patria Joh. 1, 45. vel *Capernaumi*, ubi Petro domus per conjugium obtigit, Matth. 8, 14. Apostolosum egisse, imprimis quia civitates hæ non procul à Tiberiadis stagno remotæ, Rectè quoq; *Heinsius* monet; præter necessitatem in recentiori versione Latina pro *exireunt*, substitutum esse *profecti sunt*: neq; enim exinde, quod nullus locus, unde egressi sint Discipuli, commemoretur, concludere licet, *exeundi* verbum hoc loco stare non posse.

XIX. De Descriptione vocis *Σίμων*, antiqui Petri nominis, quod alij per *Συμεών*, nonnulli etiam per *Συμεών* referunt, non est hujus loci agere, fortè de hæc re dicendi alibi aperietur aliquando campus. Videri interim possunt *B. Par.* comm. post Petri p. 16. *Drusius* comm. priori ab V. N. T. in nominibus *Simeon & Simon* it. comm. post C. 9. Id verò præterlabi non patiemur, Apostolum Petrum hoc antiquum suum nomen etiam post novi nominis impositionem, imò etiam post Christi resurrectionem, ac postquam ovium cura ipsi à Salvatore commendata, servasse, nec prius, in circumcissione sibi data rejecisse, aut eo adpellari amplius noluisse: cum *novo imposito nomine*, prius non fuerit sublatum vel mutatum, ut rectè scribit *Jansenius* Episcopus Pontificius ad C. 1. Joh. v. 13 p. 120. quod observandum contra *Bellarminum*, qui ex falso principio, *Petro nomen mutatam esse*, imperitè inter alia ejusdem in Ecclesiâ monarchiam colligere nititur. Rectè, ut dixi, *Jansenius*, *Petri nomen antiquum sublatum vel mutatum esse* negat, ipse enim textus noster satis demonstrat, quòd tum ab aliis, tum à Christo ipso *Simon*, post nominis novi additionem adhuc fuerit dictus. Conf. Act. 10, 5. 11, 13. quod respexit forsitan etiam *Syrus*, dum pro *Πετρος* adhibuit aliquando nomen  Vid. Luc. 24, 12. Miratio igitur subit, quo tandem fundamento aut fuco Pontifices Romani, qui Petri successores audire gestiunt, dum, quando ad thronum evehuntur papalem, aliis adsumtis nominibus, priora in baptismo accepta respuunt, D. Petri se exemplo defendere, factumq; suum *ἀγαθόν* palliare conentur, audeantve, cum Petri exemplum contrarium potiùs testetur, qui nomen antiquum non respuit, no-

vo à Christo super illud impetrato, ceu è *Poster. epistola Cap. 1. v. 2.* liquet. Nec par quoq; ratio inter Petrum & Pontif. Roman. ille enim à Christo novum adhuc accepit nomen, hi verò sibi metipsis alia nomina eligunt, vel à purpuratorum concilio imponi sibi desiderant. Causam sat elegantem jucundamq; legere licet apud *Pol. Virgilium Urb. lib. 4. C. 10.*

XX. Vocatus itaq; est *Simon noster*, *Petrus*, juxta impositionem Christi, qui *Syraxim* nomen  $\text{ܩܦܠܘܿܬܐ}$  Gr.  $\text{κεφαλῆς}$  ei superindidit, à  $\text{ἐπιμνεύται πῆτρος}$  Joh. 1, 43. At non contenti hâc Spiritus S. interpretatione *Syriaci* nominis, duo illi Curiaë Romanæ purpurati Senatores non incelebres, *Bellarminus ac Baronius*, alienam imperitamq; ex *Optato Milevitano* Episcopo arcessunt, hocq; ipso erudito orbi deridendos se propinant. Dicunt nimirum, *Cepham non solum petram significare apud Syros, sed etiam caput* ( $\text{κεφαλῆς}$ , parum sc. interest, utrum syllaba quædam sub finem addatur, utrum verò omittatur, modò Petri Paparumq; primatus stabiliatu,) *apud Græcos.* Verùm cum absurditas sententiæ s. explicationis hujus jam pridem à *Glassio, Dilberro, Spanhemio* aliisque prolixè sit propalata, verbum addere superfedemus.

XXI. Rectè observant studiosi Philologiæ propagatores, *Bertramus, Bartheus, Mayerus, Spanhemius &c.* inter Judæos multos fuisse binomines: addunt quidam hanc causam, quòd, postquam Romanorum, Græcorum, aliorumq; consuetudine fruerentur, lingua eorundem aliquando fuerint delectati, adeò ut nomina etiam sibi è peregrinis illis linguis imponi, non agrè tulerint, quæ quidem nomina interdum cum Ebræo significatione coinciderent, interdum v. ab eo differrent. Ad priorem modum referendum nomen Petri, qui Syrà lingua  $\text{ܩܦܠܘܿܬܐ}$  Græca  $\text{Πέτρος}$  appellatus fuit, utroq; nomine idem significante: Sic etiam  $\text{ܕܝܕܘܡ}$  Græcorum ore significatione conveniunt. Ad posteriorem modum referunt nonnulli  $\text{Ναθαναήλ}$ , quòd alterum *Bartholomæi* Apostoli nomè fuisse, & per consequens *Nathanaelè* hunc non alium ab Apostolo *Bartholom.* Discipulum esse, sibi persuasum habent, estque satis in sententiâ hâc confirmandâ prolixus *Guil. Estius not. aut.* ad h. l. Rationes desumit 1. ex conjunctione ejus h. l. cum aliis Discipulis. 2. ex consuetudine, quòd & alii *Ju-*  
*dæi*

dei, Apostoli quoque, *διώνυμοι* fuerint. 3. quòd aliàs nil quicquam de Bartholomæo Script. S. commemoret, cùm de omnibus aliis singulare aliquod dictum aut factum ostendat. 4. quòd denique inter Discipulos hîc recenseatur, quos tamen Christus post illud tempus, ex quo Philippum ac Nathanaëlem vocaverat, demum designavit. Sed deserunt hanc opinionem alii Pontificij, D. Augustinum sequentes, Vid. *Maldonatus* ad Cap. i. Joh. 47. *Baronius* Tom. i. Ann. it. in Martyrol. *Contzenius* ad h. l. qui ingenuè fatetur, *omnia illa, an Nathanael Apostolo fuerit nec ne, conjecturis niti.*

XXII. Adeò nota est in N. T. ellipsis vocis, ex re ipsa subintelligendæ, quæ hîc deprehenditur quoq; , quando *οἱ τὸ ζεβεδαιῶν* pro *οἱ τὸ ζεβεδαιῶν υἱοῖ*, quomodo Interpretes pleriq; suppleant, (*Schmidig* quoq; in edit. Gr. Witteb. cujus tamen codicis fide, ipse non refert, *υἱοῖ τὸ ζεβεδαιῶν* prioris loco substituit,) ut ferè supervacaneum putem, quidpiam super hâc re adscribere. Id tamen indicare jam allubescit *Syram & Arabem* ellipsin hanc aliquando imitari, aliquando complere. Posterioris modi in versione *Arabica* exemplum sistitur h. l. integrè enim redditum: *זבדי זבדי* sic quoq; v. 15, 16. & 17. transtulit enim *Arabs* Græca *Σίμων Ἰωνᾶ* (sc. *υἱὸ*) ita *Ἰωνᾶ* *Νῆ* *Ζεβεδαιῶν* prout in *Græco* etiam textu, sed voce Chaldaëa *Matt.* 16, 17. ellipsis suppleta. Conf. *Matt.* 4, 21 *Marc.* 2, 14. *Luc.* 3, 23. *Act.* 1, 13. 2. *Petri* 2, 15. Prioris exempla suppeditat *Joh.* 6, 71. *C.* 12, 4. *C.* 13, 2. & 26. Ex versione *Syriacâ* alibi proferentur exempla.

XXIII. *Ἄλλοι ἐκ τῶν μαθητῶν αὐτοῦ (Ἰησοῦ) δύο*, qui fuerint, Evangelista non exprimit, quemadmodum nec in versione *Syriacâ & Arabicâ* ullum hujus rei indicium: quâ etiam de causâ à plerisq; commentatoribus intactum hoc relinquitur. *Lyra* exinde *horum duorum nomina omissa* scribit, quòd fuerint *minores*. Probabile quidam esse dicunt, *fuisse Philippum & Andream*, utpote quibus commune cum cæteris, nomine tenus hîc expressis, natale solum fuit, nim Galilæa, quid quod in super *Andreas* fraternitate, *Philippus* civitate patriâ *Petrum* attigerit. Vid. *B. Par. Harm.* h. l. p. 344. Quid verò de *Contzenii* ratione, cui quòd non fuerint ex *Apostolorum collegio*, probabile videtur, sentiendum sit, in *Disputationis actu* videbimus.

XXIV. Patet quidem è verbis *Petri ὑπάγω ἀλιεύειν* (i. e. *ἰέλω ὑπάγειν*) v. 3.

B 3

ὑπάγειν

ὁ παγειν καὶ ἀλιεύειν. sicut etiam ἐρχόμεθα dicitur pro ἑλωμεν ἐλ.  
θεοῦ. ita n. *verba adtiva* in Scripturā S. exponendā aliquando esse,  
notissimum est, Vid. Matth. 13, 13. Luc. 11, 52.) ipsum primum insti-  
tutum suum de piscatione suscipiendā præsens Discipulis, for-  
tè in domo suā congregatis apperuisse, nec non è responsione co-  
randem ἐρχόμεθα καὶ ἡμεῖς σὺν σοι, comites sese ei dedisse; at quo-  
modo exinde Petri prerogativa præ reliquis Apostolis in Christi o-  
vili, confirmari firmiterque deduci potest? contra *Bellarmin.* de R.  
P. lib. 1. Cap. 20.

XXV. Odio cæcus hîc in B. Lutherum irruit Jesuita *Barrha-  
das*, dum scribere non veretur: *Dicit Diabolus: vado piscari. dicunt  
rei Lutherus, Calvinus, Arius cæteri; huiusmodi pestes: venimus & nos  
tecum.* ò os impudentissimum! ò frontem præfrictam! quàm  
benè convenit B. Luthero cum hæretico pestilentissimo Ario, i-  
temq; cum Calvino. Sed quia primum inter has pestes Luthero  
nostro assignare locum reverentiæ ac humanitati Jesuiticæ visum  
fuit, igitur missis reliquis, de B. Luthero jam nunc saltem videbi-  
mus, causamq; inquitemus tantæ vehementiæ iræq;, quam Jesui-  
ta ὑπὸ διαβόλῃ *Φερόμενος* plenis buccis evomit: Diabolum sequi  
B. nostrum Lutherum, Jesuitæ calumnia est. causam si quæras,  
hæc est, non quasi Deum non veneretur, vel quòd Christi divini-  
tatem cum Ario neget, sed quia Papam Romanum, τὸν εἰς θρωπὸν  
τῆς ἀμαρτίας καὶ τὸν ὑὸν τῆς ἀπωλείας, uti D. Paulus eum nobis de-  
scribit, pro Christi in his terris vicario agnoscere, horrendaque  
ejusdem dogmata adprobare detrectavit. Pontificem Romanum  
sequi debebat, juxta *Barrhadæ* consilium, B. Lutherus. Quis ve-  
rò ille & qualis? abundè quidem nobis esset, in Pauli descriptio-  
ne illius, modò adductâ acquiescere: sed quia præter S. litteras, e-  
tiam humanas traditiones & testimonia Papales requirunt, igitur  
vividis ab ipsis Pontificiis depictum coloribus, sic Papam Romanam  
representamus, quòd sit *pacis & unionis Evangelicæ perturbator, per-  
fidus, Diaboli mancipium, sacrilegus, veneficus, magus, homicida, adul-  
ter, Simonita, Apostata, ἐνὶ λόγῳ AntiChristus.* Hunc cine non ho-  
minem, sed bestiam Lutherus sequi debuit? ita Jesuitæ consilium  
fuisse. Sed abeat Pontifex Romanus piscatum & ad stygium flu-  
vium cum Elavitis suis vehat, nos Petrum sequemur, h. e. Scriptu-  
ram



ram Sacram, non fictitium Petri successorem. Non enim habent  
hereditatem Petri, qui Petri fidem non habent.

XXVI. Satis v. cordatè ac animosè ad h. l. *Contzenius*, itidem  
Jesuita, de Monachorum, qualium pigrorum sociorum in Papa-  
ru turba ferè innumerabilis, vità: *Laboriosum vitæ institutum, quod  
Monachi* (sed quàm pauci?) *sectantur, ita predicamus, ut tamen eorum,  
qui sanctum ordinem inertiâ & vagis discursibus* (quod certè si non o-  
mnes, attamen plurimi agunt) *infamant, oia non probemus. La-  
bores manuum in Christi ministris non reprehenduntur.* Paria his *E-  
stius* habet not. ad b. l.

XXVII. Meritò, ut modò ostensum, saniores Pontificii, no-  
toriam Monachorum pigrum reprehendunt, qui enim, ex cle-  
ricis quoq; , studiis non invigilant, ingenioq; laborare possunt,  
manibus omninò laborare proximiq; utilitatemque quærere de-  
bent: quemadmodum etiam cum Christi effato Luc. 9, 62 non pu-  
gnat, quòd piscatum hîc eunt Discipuli: imò potiùs, cum nondum  
tempus denuò inchoandi ministerii, Evangelicæ sc. prædicationis  
adesset, nec fortè, quo de viderent, suppeteret, generali Scriptu-  
ræ S. præcepto Deique ordinationi factum hoc congruum, ac D.  
Pauli, qui *σκηνοποιῶν* in medio Apostolatus sui laboriosissimi cur-  
su sine reprehensione exercuit, videturq; manibus quæsiuit, ex-  
emplo egregiè comprobatum, ipsis Pontificiis, *Jansenio*, *Cornelio  
à Lapide*, *Barrhadâ* aliisque consentientibus, putamus. Patres e-  
tiam nobis *ὁμοψήφως* ipse adducit *Maldonatus* ad h. l. Hinc nec  
segniter quoq; piscationem Petrus cum reliquis Discipulis, explo-  
rata illorum voluntate, suscipit, quod particula *ἐσθῆς* (quam qui-  
dem *Syrus* paraphrastes, nescio quem secutus codicem, negligit,  
sicuti etiam *Vulgatus*: agnoscit tamen illam *Arabs*, redditque per  
*ⲉⲥⲟⲩⲏⲛ*, qua de voce videatur *Tarnovius*) innuit, nec non con-  
stanter eandem cum istis per totam ferè noctem continuavit, quod  
clare ostendunt verba Evangelista *ἔι ἐκένηθη νικτὶ ἐπ' αὐτὸν ἔδεν.*

XXVIII. Ascendunt Discipuli *ἐπὶ πλοῖον*, quâ voce paullo am-  
plius navigium hîc indicari, tum ex eo patere quodammodo puta-  
mus, quòd septem discipulis cum necessariis, itemq; piscibus, quos  
capere sperabant, capiendis par esse debuerit; tum quia aliud *πλοῖ-  
ον* sive parvam naviculam eidem adjunctam fuisse, è v. 8. pro-  
babile

babile evadit. *Syrus* quidem itemque *Arabs* utroque loco, quemadmodum etiam alibi indifferenter pro  $\omega\lambda\omicron\iota\omega$  &  $\omega\lambda\omicron\iota\alpha\rho\iota\omega$  unâ eademq; utuntur voce, ab eadem quoq; radice Ebr.  $\text{יָסַד}$  operuit, conignavit, laqueavit, ortâ, hic sc.  $\text{הַסִּינָה}$ , ille v.  $\text{יָסַדוּ}$ , utraq; propriè *navim tectam* significante, quales esse solent ut plurimum paullò majores, nec B quoq; *Lutherus* in versione Germanicâ differre  $\omega\lambda\omicron\iota\omicron\nu$  &  $\omega\lambda\omicron\iota\alpha\rho\iota\omega$  cum h. l. tum alibi ostendit. attamen *Johannes* non sine causâ priori loco nim. v. 3. vocabulum  $\omega\lambda\omicron\iota\omicron\nu$  i. e. *navigium*, posteriori autem sc. v. 8. diminutivum adhibuisse, nobis videtur: neq; etiam intolens, navibus paullò amplioribus *naviculas* s. *cymbas* adnecti.

XXIX. Cæterum de eo inter Pontificios & Calvinianos controverti videmus, *utrum*  $\omega\lambda\omicron\iota\omicron\nu$  hoc *Petri* proprium fuerit, an v. *mutuatitium*, his priorem, illis posteriorem sententiam defensantibus. Nos licet, tacente Sp. S. nihil firmiter statui hîc posse, libenter largiamur, interim non omninò improbabile nobis apparet, propriò *Petrum* in præsentî navigatione usum fuisse *navigio*, maxime quia auctor ipse reliquis extitit piscaturæ hujus suscipiendæ, nec alius commemoratur, cujus *navim* mutuo acceperint. Nec adeo obstare putamus sententiæ huic, id quod *Contzenius* tantopere urget, *Petri*, postquam à *Christo* in *Apostolorum* numerum receptus, *rerum mundanarum abnegationem* Matth, 4, 20. & 22. hæc enim, quomodo comparata fuerit, è prædicti *Evangelistæ* C. 8. 14. aliquat. patet: ita nimirum, ut animo & adfectu possessiones suas reliquerint, *Christo*q; adhæserint, interim tamen non prorsus deseruerint aut nuntium remiserint, sed oblatâ occasione, & quando sine *Evangelii* prædicandi impedimento fieri poterat, illis usi fuerint *Apostoli*. Vid. *Par. Harm. E. b. l. p. 348.*

XXX. Auget miraculum *Christi*, quando *Evangelista* noster dicit:  $\epsilon\pi\iota\alpha\sigma\alpha\nu \epsilon\delta\epsilon\nu$  ceperunt nihil: (*Syrus* itemq; *Arabs* vertunt: & non ceperunt aliquid h. e. planè nihil ceperunt: ita enim universalem negationem alibi quoq; iidem  $\pi\epsilon\rho\phi\epsilon\rho\zeta\epsilon\sigma\iota$ .) Cùm enim totâ prope noctè ad piscationem aptissimâ, nec non in lacu piscium fertilissimo ne unicum quidem piscem capere potuerint, certè sine miraculo factum putare non licet, ut postmodum diluculo adpropinquante

pinquante, temporeq; minùs, quàm plenè nocturno ad piscium  
capturam commodo, tantam piscium & quidem majorum cepe-  
rint multitudinem.

XXXI. Non clarum mane, sed crepusculum matutinum, ul-  
timam secundùm veterum divisionem noctis vigiliam, per  $\omega\rho\omega$ -  
 $\iota\alpha\nu$ , subintellige  $\omega\rho\alpha\nu$  s.  $\delta\epsilon\iota\lambda\eta\nu$ , hoc loco indicari, exinde patet,  
quòd Christum, ducentis tantùm cubitis ab ipsis sejunctum cumq;  
eis colloquentem Discipuli cognoscere non potuerint. Nec ob-  
stat, quòd Evangelista paullo ante dixit, Discipulos  $\epsilon\nu$   $\epsilon\nu\kappa\epsilon\iota\nu\eta$   $\nu\upsilon\pi\iota$   
*nihil cepisse*: est enim locutio à majori desumpta parte, qualis & in  
aliis Divinæ Scripturæ occurrit locis. Vid. Jer. 25, 12. Luc. 2, 21.

XXXII. Ex eo, quòd Christus hinc post resurrectionem suam  
suam  $\epsilon\iota\varsigma$  (*Eologe Græca* habent  $\epsilon\pi\iota$ , quo & *Syrus* inclinat, qui reddit  
per  $\text{U}$ , itemq; *Arabs*, apud quem  $\text{H}$  legitur)  $\epsilon\nu$   $\alpha\gamma\mu\alpha\lambda\acute{o}\nu$   $\epsilon\sigma\tau\acute{\iota}$ -  
 $\sigma\alpha\iota$ , dicitur, veteres mysterium eliciunt. *Non apparuit*, scribit  
*Nic. de Lyra* ad h. l. *super aquam*: (uti antehac, sc. Matt. 14, 25. Marc.  
6, 48. &c.) *sed in terrâ solidâ, ad ostendendum, quòd amplius non erat*  
*cum eis in fluctibus vitæ corruptibilis, sed magis transferat ad statum vitæ*  
*immortalis*. Paria habet *Haymo* super h. l. Conferatur etiam *Chry-*  
*sologus* serm. 78. Accomodant etiam quidam huc exemplum *Jonæ*,  
qui typus Christi fuit Matth. 12. v. 39. quemadmodum enim hic,  
postquam triduo in ventre ceti detentus, in aridam sive littus ma-  
ris fuit ejectus: ita quoq; Christus, quem mors tenere amplius non  
poterat, tertio die in aridam rediit h. e. in statum gloriæ ac immor-  
talitatis fuit translatus, unde & hinc in littore h. e. tranquillitate  
cernitur. Tolerandæ quidem allegoricæ hæc explicationes, ac non  
firma exinde argumenta pro dogmatis alicujus probatione deduci  
possunt, quod non rarò ineptè fecit *Bellarminus*.

XXXIII. Quod verò Evangelista subdit:  $\delta$   $\mu\acute{\upsilon}$   $\tau\omicron\iota$   $\eta\delta\epsilon\iota\sigma\alpha\nu$ ,  $\epsilon\pi\iota$   
 $\text{I}\eta\sigma\acute{\upsilon}\varsigma$   $\epsilon\sigma\tau\iota$  *non tamen cognoverunt, quòd Jesus esset*, illius causam  
nonnulli, uti *Euthymius*, *Lyranus*, aliiq; hanc ponunt, quòd factum  
hoc sit propter corpus ejus glorificatum, quod ad humanos sensus hanc pro-  
portionatum, quod nos quoq; suprâ adseruimus. §. VI. & IX. & hi  
videntur conjunctionem  $\delta\pi$  h. l.  $\alpha\gamma\iota\omicron\lambda\omicron\gamma\iota\kappa\acute{\omega}\varsigma$  accipere, quod ta-  
men non semper necesse est, cùm sæpè alias quoq; significationes  
obtineat, quas eruditè exhibet *Dn. D. Glasz*. Gr. S. lib. 3. tr. 7. alii verò

C

Christi

Christi voluntati hoc adscribunt, qui cognosci noluerit ante miracu-  
lum, utpote tuius faciendi occasionem prius captare, ipsi placuit, incli-  
nant huc Chrysostomus & Theophylactus, quibus subscribunt Jansenius  
& Maldonatus: alii deniq; tum crepusculo, nondum enim pla-  
ne illuxerat, tum loci distantia, quæ, accedente lucis plenæ defectu,  
facile visum impedire poterat, hoc ipsum adscribere malunt. Neq;  
enim opus, ut tacente Sp. S. miraculum hîc statuamus peculiare, di-  
eamusq; , oculos discipulorum per tempus aliquod fuisse detentos, ne Do-  
minum, quem quidem videbant, agnoscerent, quod Grotius statuere  
hîc videtur, & alibi id ipsum factum ultra largimur; nec necessitas  
quoq; nos urget, ut aliam Servatorem nostrum adsumsisse formam cum  
Corn. à Lapide adferamus: sicuti quorundam sententiâ Luc. 20, 15.  
fecisse creditur, nisi dicere potius velimus, oculos Mariæ divinâ  
quadam virtute fuisse tum detentos, vel præ mœrore lacrymisq; ,  
queis oculos illius obductos quasi tunc fuisse putamus, Christum,  
ut ut pristinâ formâ & consueta, attamen glorificato corpore, sese  
exhibuerit, non statim cognovisse.

v. 4.  
XXXIV. Cùm Discipuli Christum quidem viderent, non ta-  
men Jesum à mortuis resuscitatum, sed alium quendam hominem  
eum, quem videbant, judicarent: id enim verba ultima v. 4. insi-  
nuant, quæ minus rectè Vulgatus transtulit: quia Jesus est, aptius  
clariusq; alii: quòd Jesus esset, vel Jesum esse. Christus v. ideò adve-  
nerat, quò illis sese manifestaret, ac de resurrectionis veritate ma-  
jestatisque divinæ communicatione magis ac magis redderet illo  
certos, inde eos alloquendo prævenit: λέγει οὖν αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς, in-  
quit Evangelista. neque enim frustrâ hoc loco posita particula ἔν,  
quam Arabs tam Leydensis, quàm Romana editionis, sicut etiam Ec-  
loge Græcæ mittunt. Mirum v. quî Discipuli Dominum, quem  
quidem ob loci distantiam lucemq; ancipitem per visû non agno-  
scere facile poterant, per sermonem non cognoverit. Fieri enim  
potest, ut ob loci intercapedinem vel ob causam aliam visu discer-  
nere aliquem nequeam, quem tamen ex loquelâ statim cognosco.  
An igitur Christo aliâ quàm antea usus est linguâ, oreq; locutus fuit  
diverso; an v. aures Discipulorum fuere detentæ, quod Grotio vi-  
detur, ne è loquela præsentiam Domini colligerent. Dissitum  
quidem ducentis Christum à discipulis legimus cubitis, sed tantum  
hoc

hoc spatium non videtur, ut auditu aliquis è sermone agnosci ne-  
queat, imprimis quando verba illius clarè percipiuntur, omniaq;  
uti tempore præcipuè nocturno, tranquilla. Res sanè hæc diffici-  
lis, & à paucissimis dubium hoc motum. Quomodo tamen solvi  
possit, chartæ angustia non permittit, multis hîc exponere.

XXXV. Perquam v. amicè Jesus discipulos compellat, quan-  
do *παῖδια* illos vocat. Malumus enim probabile ducere, Christum  
voce hæc eâ uti significatione voluisse, quâ blandientes ac *ὑποκομι-  
ζόμενοι* solent, sicut ipse quoq; Joh. 13, 23. dictionem *παῖδια* adhi-  
buit, ac Johannes amicam hanc compellationem ex ore Præcepto-  
res haustam 1. ep. C. 2, 14. & 18. usurpavit: quàm cum *Eutbymio*,  
cui ad se clam sese dat *Jansenius*, statuere, Christum *παῖδια* Disci-  
pulos hîc vocare, quasi *robustos ac valentes*, quales esse solent, qui  
manuum laboribus atq; adeò etiam piscatione sese exercent: à quâ  
sententia non multum abludit *Maldenati* opinio, qui ita Christum  
cum Discipulis suis hîc loqui putat, *uti Vir gravis cum inferioribus*.  
Paullo alienior ab enarratis est *Chrysologi* interpretatio, qui ideò  
pueros adpellatos putat Discipulos, *quod adhuc timidi essent, magis q;  
ad mensam, quàm ad prælium apti*. *Climens* deniq; *Alexandrinus* *παῖ-  
δια* Discipulos vocasse arbitratur Dominum, quòd *domestici ipsius  
essent ac familiares*.

XXXVI. Subjungit nunc Christus amicæ allocutioni qua stio-  
nè: *μηδὲ μεσσοφάγιον ἔχετε* dicens. Per τὸ *μεσσοφάγιον* aliàs omne  
id notari, quo cum pane vescimur ex *Eustathio* liquet, qui *μεσσο-  
ψηνα κοινῶς* s. apud vulgum *μεσσοφάγιον* dici, scribit, itemq; *Suidâ*,  
qui ὄψον per *μεσσοφάγιον* exponit, idemq; ac *μεσσοψηνα* aq;  
latè patere, videtur censere. quibus gravissimis auctoribus adjun-  
gimus *Hesychium*, qui ὄψον itidem per *μεσσοφάγιον* explicat. *Syrus  
& Arabs* planè generalibus hîc utuntur verbis, reddit enim ille

*ܡܫܘܫܘܢܐ* aliquid edere sive quod manducetur; hîc  
*יֹכֵל* quidquam, quod edatur. Aliàs non negamus, quem-  
admodum *μεσσοψηνατες* vocabulum interdum specialius pro pi-  
scibus, quos cum pane edere solemus, adhibetur, sicuti etiam rectè  
ex *Athenæo* hoc probat *Beza*, ita & *μεσσοφάγιον* vocem accipi, quem-  
admodum hoc quoq; loco omninò commedissimè sumi posse,  
textus circumstantiæ suadent: nec tamen opus, ut *Syrum* Interpre-

tem propterea *ωεγς & Φαγειν* legisse putemus, quod *Beza* videtur. Labentes tamen eidem largimur, *Syrum*, imò & *Arbem* in latà significatione *ωεγς Φάγιον* accepisse, pro omni sc. quod *εἰς τὸ Φαγειν ἐπιτίθειον*. An v. *pulmentarii* dictio ita specialiter pro *piscibus*, pro ut à *Vulgato & Castalione* h. l. adhibetur, & à *Barrbadà* exponitur, vel etiam generaliter pro omni eo, quod *coqui & cum pane edi potest*, ut à *Lyrà, Jansenio, Maldonato, Corn. à Lapide* aliisque pontificiis, accipitur, apud bonos auctores occurrat, Pontificii, qui vulgatam versionem optimam elegantissimamq; , imò authenticã tutari tenetur, viderint, nos equidem invenire id hactenus nondum potuimus, nec Auctores Latini à *Maldonato & Corn. à Lapide* adducti hoc ipsum, quod debebant, probant: quamvis haut inviti iisdem largiamur, *Glossarium* ita exponere, quin & *Hieronymum* h. l. eadẽm voce uti. Cur a *CL. Lud. de Dieu* pronomen *τι* nomini, quo de jam actum, contra omnium Codd. Græcorum auctoritatem postponat, causam perspicimus nullam, certè non sat gravem.

XXXVII. Simulat v. Christus, uti *Chrysostronus* & ex eo *Abbre- viator* illius *Theoph.* tradunt, ac si pisces, quos cepissent, emere velit, quæritq; , num quos habeant: quod tamen Christi *querere* non ignorantis hoc loco est, *sciebat enim, quid esset in homine* Joh. 2. v. 25. quantò magis alia: sed *manifestantis*, utque ex Discipulis eliceret propriam frustrati laboris & ingenuam confessionem. Similia quæstionis Christi *Ἰεσὺ Ἰεσὺ τίς εἶ* exempla alibi etiam occurrunt. Vid. *Matth. 16, 13* *Luc. 8, 45*. Sic *Joh. 11, 34*. de Lazaro quærit; *ubi posuistis eum?* in quem locum eleganter perquàm *Episcopus Hipponensis: Scisti, quia mortuus sit, & ubi sit sepultus ignoras.* Confer omninò *Hilar. lib. IX. de Trinit. p. 186.* tales quæstiones & infra v. 15, 16. & 17. videmus, dum ex Petro: *Utrum ipsum diligat*, Christus quærit, non quatiẽm illud lateret, diversum enim ipse *Petrus* v. 17. nos docet, optimèq; de Petri amore illi constabat, sed ut dilectionis erga se demonstrationem confessionemq; ederet *Petrus*, juxta glossam *Euthymii*. Si enim Christo homini in primo statim conceptionis momento, per & propter unionem personalem majestas verè divina atq; ad eò etiam omniscientia realiter fuit communicata, ut illam, etiam in exinanitionis statu, quoties & quando ipsi placuit, exserere potuerit, & exeruerit quoque: quantò magis ignorantia ab eo erit

erit alienissima, postquam *μερῶν δὲ ἄλλῃ* iterum deposuit h. e. ab exinanitionis statu ad exaltationis gloriam per resurrectionem ac triumphum de morte ac diabolo evehi cēpit, contra *Bezam, Martyrem & Jesuitas*, verbalem saltim *ἰδιωματίαν κοινωνίαν* s. *ἀλλοίωσιν* ex unione hypostaticā in Christo resultare, scribentes, vel, quod eodem recidit, realem Idiomatum divinorum communicationem, *desultoriam* saltim locutionem, ut *Zwinglius*; modum loquendi, ut *Johannes Piscator*; formam loquendi, ut *Polanus*; vel phrasin loquendi, sicuti *Sobnius* vocantes. it. Contra *Ebionem, Samosatenum, Arium, Photinum*, novos *Arianos*, & alios, veram Christi deitatem, è quā tamen omniscientia resultat, vel *κατὰ τὸ ῥητὸν* negantes, vel hypothesibus suis inficientes.

XXXIIX. Licet Discipuli, indignabundi quasi ob graves sc. labores, totā ferē nocte in cassum exantlatos, saltim negativā particulā respondeant; non addentes verbum *ἐχομεν* vel *πεπιάκαμεν*, abruptā enim tali locutione indignationem prodere solemus. nihilominus tamen suavissimus noster & illorum amicus Jesus in amabili sermone non solūm pergit, sed occasionem etiam quærit, quō illis sese manifestet: cūmq; ex indignatione, uti probabile est, accuratiū ipsum intueri nollent, non ampliū sermone tantūm, verūm etiam facto & insigni benivolentiæ suæ indicio & miraculo ad sui cognitionem allicit eos ac invitat. Ut tamen obsequium illorum priū probet, *jubet eos*, ita enim verbum *εἰπὲν* commodē hīc accipere possumus, cū non solūm in S. Sacra, verūm etiam in profanis auctoribus Græcis hoc sensu interdum adhibeatut, quod jam pridem alii notarunt, *ut rete εἰς τὰ δεξιά jaciant*. Non v. adsequi possumus, quod suæ conjecturæ fundamentū è textu habeat *Hugo Grotius*, quando ad hæc annotat: *propius litus, ut videatur, ubi minor erat spes capiendi, quasi dicat: quo minimè veris &c.*

XXXIX. Quamvis v. per miraculum quoq; Discipulis se suis Dominus manifestaverit, & ad sui cognitionem perduxerit, quemadmodum in primitivā etiam Ecclesia miracula non fuere infrequentia: haut tamen opus, ut hodie quoq; etiamnum similia miracula, quibus verbum prædicatum confirmetur, semper expectemus aut necessariò requiramus, cū alia sit ratio Ecclesiæ plantata, alia plantanda. Scitè admodūm *B. Gregorius* hom. 29. in Adscens.

*scens Domini: Hæc signa necessaria fuere in exordio Ecclesie. Ut enim ad fidem cresceret multitudo credentium, miraculis fuerat nutrienda. Nec minus pulchrè D. Augustinus lib. 2. de C. D. Miraculis opuserat prius quam crederet mundus, ad hoc ut crederet mundus: quis quis adhuc prodigiâ requirit, ut credat, magnū ipse prodigium est, cum toto mundo credente, ipse non credat. Videant Bellarminis Valentia, Becanus aliq; farina hujus homines, ne & ipsi prodigia audire ab Augustino cogantur, quando miracula tanquam notam necessariam veræ Ecclesie ponunt, & talia in nostrâ Ecclesiâ non fieri ac ostendi posse, vociferantur: cum tamen & à falsis Dd. etiam σημεῖα μεγάλα καὶ τέρατα Dei permissione edantur, sicuti luculenter docet Salvator noster Matth. 24, 24. quod nec ipsi Pontificij saniores inficias ire possunt. Vid Estius not. ad c. 3. Act.*

*XL. Demonstrat v. Dominus noster divinam s. omniscientiam carni communicatam, quando Discipulos suos in illam navigii partem vel latus rete conjicere mandat, ubi pisces capturos eos noverat; sive omnipotentiam, quando pisces magno numero illis procurat, cum antea per totam prope noctem ne unicum quidem adipisci vel indagare possent. Sive enim pisces istos de novo à Christo creatos formatosq; esse, cum quibusdam adseratur; sive ex aliis stagni partibus ad locum hunc, dextram nimirum navigii partem, compulso fuisse, quod Grotio itemq; Corn. à Lapide, (qui tamen valdè improbabiler statuit, Discipulos propterea nihil cepisse, quia tota nocte ad sinistram fuissent piscati, Christus v. occulti à vi ad dextram navigii multitudinem banc piscium congregaverat) arridet, dicatur, omninò divina illius potentia, realiter carni communicata, divinumq; miraculum stabilitur, clarissimeq; elucescit: ac impletum hîc videmus, quod Ps. 8, 9. de ipso prædictum. contr. Ostor. Instit. C. 13. Nec obstat, quòd Apostoli quoq; ac Prophetæ miracula quandoq; perpetraverint, de quibus tamen dici nequaquam possit, eos per divinam majestatem, realiter per hypostaticam unionem illis communicatam, talia fecisse. Diversa siquidem ratio est miraculorum, à Christo itemq; Prophetis ac Apostolis productorum. Christus enim propriâ hujusmodi talia perpetravit effecitque virtute, Marc. 16, 17. id quod soli Deo competit Ps. 72, 18. Apostoli in nomine h. e. virtute & auctoritate Christi, ut è Petri exemplo, claudum hominem*



minem restituente Act. 3, 6. & 12. cernere est. Christus illa fecit, quæ nullus Propheta vel Apostolus aliusq; *ἐκ τῆς αἰῶν* fecit, nato sc. ceco oculos aperiendo Joh. 9, 32. & 33. Sic concipi à Spiritu S. sine virili semine, nasci ex virgine illæso virginalis integritatis clau- stro &c. nulli alii competunt, quàm soli Christo. Probè deniq; observandum, miraculis confirmari doctrinæ veritatem, quam il- le proponit, qui miracula edit, cum hæc sigilla sint doctrinæ: jam v. nullus Propheta in V. T. nullus Apostolus in N. T. se filium Dei h. e. se verum Deum esse, professus est, nec profiteri etiam potuit: sed solus Christus docuit, quòd talis sit, promissus sc. Messias, quo de Prophetæ fuerint vaticinati, Ergò miracula, quibus hanc do- ctrinam confirmavit, fuere divina. Vid. Reverendissimum atq; Excellentissimum Dn. Præsidem, Patronum, Promotorem ac Præceptorem meum filiali cultu prosequendum, in de Miraculis Disput. ex Evang. Domin. IIX. post Trinit. th. 14 & 15. B. Parentem meum Harm. de Resurr. p. 315. Tarnov. in Joh. p. 487. 488. 2023. 4020 Estium not. ad C. 3. Act. p. 623.

XLI. Quemadmodum v. in piscatione hæc Christus divinâ suâ potentiâ facile efficere potuisset, ut pisces sponte in navigium venirent in silirentq; placuit tamen ipsi, ut à Discipulis reti cape- rentur: ita similique modo in conversione nostrâ sese res habet ac eum illâ comparatū est. Posset quidem sine verbi prædicatione ac Sacramentorum usu conversionem fidemq; in nobis operari, & ad Ecclesiâ nos perducere: sed dedit nobis verbum suū, S. Bibliis con- tentum, & ordinavit Sacramenta, per quæ media tanquam per sua organa ritè admissa, ipse in nobis vult esse efficax, Spiritum Sanctū nobis donare, & conversionem nostram procurare. Contra *Calvi- nianos, Weigelianos, Schwencfeldianos, Entbustistas, Anabaptistas*, ali- osq; media hæc vel prorsus repudiantes, vel non sufficientia satis ad fidē in nobis accendendâ stabiliendamq; æstimantes, aut etiam Spir. S. sine his mediis hodie ordinariè donari, sibi imaginantes.

XLII. Sicuti etiam in piscaturâ præsentī Dominus Discipulo- rum ministerio uti voluit: ita etiam visum ipsi fuit ordinare ac in- stituere *ordinem Ecclesiasticum*, à quo articuli ad salutem necessarij, tum etiam ad vitam piè degendam præcepta proponerentur & in- culcarentur, ac sacramenta legitimè juxta institutionem ejus ad-  
mini-

ministrarentur. Requiritur v. ad illud munus obeundum personæ dignæ h. e. divinitus vocatæ & ordinatæ, ad illa ipsa peragenda, de quibus modò dictum. Contra *Anabaptistas*, qui modò huic, modò illi, sutoribus pariter ac sartoribus, aliisque id genus hominibus sine omni vocatione jus publicè verbum Dei prædicandi tribuunt, quemadmodum experientia cottidiana abundè id testatur. it. contra *Photinianos*, vocationis necessitatem in Ecclesiæ ministris negantes. Nec juvat illorum consuetudinem factum Christi, qui ex piscatoribus & publicanis, hominibus quippe minùs eruditis sed rudibus, Apostolos sibi elegit. Negare enim non poterant, divinitus & immediatè illos à Christo fuisse vocatos, & sufficientibus quoq; à vocante donis instructos, quod de sartoribus illis, fabris cæterisque, quibus docendi potestatem facere solent Anabaptistæ, probari ne utiquam potest.

XLIII. Christo obsequium præstant Discipuli, licet homini ipsi tum ignoto, cujus rei causam alii *interiori Christi in cordibus eorum motioni* tribuunt; alii v. *naturaliter ita comparatum esse putant, ut quæ consilia vera esse cupimus, eadem sequamur.* ἔβαλον (*Schmidius* in N. T. hîc Wittebergæ edito substituit ἔκβαλον, nullo codice, quantum novi, edito, sicuti etiam nec MS. quibus *Beza*, aliiq; in op. Reg. usi sunt, suffragante, præterq; necessitatem, cum usitata lectio idè quoq; importet) ἔβ, ait Evang. καὶ ἔκ ἐπ' αὐτὸν ἔλκυσαι (nonnullæ editiones, sicut etiam Eclogæ Græcæ minùs rectè exhibent ἔλκυσαι cum acuto) ἰχθυσαν. Tanta verò est tum multitudo, tum magnitudo etiam (utrumq; enim vox πλῆθος significat, quamvis propriè de quantitate discretâ s. *multitudine*, impropriè autè de quantitate continuâ s. *magnitudine* usu veniat) piscium, quos Discipuli mandatum Christi exsequentes capiunt, ut trahere rete vix possint δὲ πὸ τῶν πλῆθους τῶν ἰχθύων i. e. Διὰ s. ὡς, aut etiam ὑπὸ τῶν πλῆθους ut *Schmidius* legit, cujus tamen codicis MS. fide adfirmare non possum. Non tamen solo hoc loco præpositio δὲ tali sensu occurrit: sed reperitur etiam aliis in locis hujusmodi acceptione. Evolvatur Matth. 13, 44. C. 18, v. 7. Luc. 19, 3. C. 21, 26 C. 22, 45. Act. 20, 9. Sunt enim hujusmodi præpositionum inter se mutua μεταλλάγαι in N. T. Græco frequentissimæ. Inde *Syrus* & *Arabs* tum reliquis locis jam allegatis, excepto saltim apud *Arab.* loco ultimo, transfe-

transferunt præpositionem hanc ἀπό per ἰδ. Addit quoq; Syrus  
post verba ἀπό ἔω λήθους τῶν ἰχθύων, *لما*, quos ceperat scilicet.

*لما* i.e. rete, quæ dictio paullo ante præcesserat nec vetat,

quò minùs eodem modo, ἄλλοιπτιῶς videl., Arabem etiã intelligamus, qui vertit צידה *quam, multitudinem nim. ceperat*, subintellige שוכה *rete*, de quo antea. Ut non opus sit, diu hîc inquirere, an ציד passivè sit in usu, prout *CL. Tarnovio* quidem visum.

XLIV. Mirum sanè, neminem hîc præter Johannem, viso hoc Christi miraculo, ipsum cognovisse, similisq; miraculi antehac facti, cujus Lucas C. 5. meminit, recordatione, vel conjecturam saltem, hominem hunc, cujus jussu suasque tantum miraculum perpetratum, DOMINUM esse, sumsisse. Quod autem Johannes primus solusq; Christum, ex miraculi puta consideratione, cognoverit, illius *B. Hieronymus ad Pammach. adv. error. Job. Hieros.* quem nò pauci è Pontificiis, virginitatis quidem ac castitatis D. Johannis laudatores strenui, sed imitatores rarissimi, sequuntur, causam quærit in Johannis virginitate; alii cum *Chrystomo* ac *Cyrillo* acumini ac celeritati ingenii Johannis illud adscribunt; *Leontius* ejusdem simplicitatem animique puritatem causam statuit; *Cornelius à Lapide* Hieronymi quidem sententiæ subscribit, putat tamen etiam, Christum Johanni primùm pristinam suam speciem objecisse; *Beda* amorem, quo Christum D. Johannes prosequabatur summo, hîc urget, quos enim amamus, eos longissimè etiam disditos, facilè videmus, & pergestus etiam cognoscimus, quò faciunt pulcra illa *Chrysologi* verba *serm. 78. primus qui diligitur videt, quia semper amoris oculus acutiùs intuetur, & semper vivaciùs, qui diligitur, sentit*; alii deniq; miraculi similis antea facti reminiscentiæ apud Johannem causam hîc adsignant. inclinant huc commentatores multi. ita etiam *Grotius* ac *Pelargus*, qui tamen *divinam* insuper *illuminationem* addit. Duæ postremæ explicationes reliquis videntur nobis probabiliore.

XLV. Non autem expressè nomen suum indicat hîc Johannes, sed more consueto, Vide C. 13, 23. C. 19, 26. &c. sese *ἐξήρατο* *ἑαυτοῦ*; *μαθητῆς ἐκείνου*, ὃν ἠγάπα ὁ Ἰησοῦς. Cujus rei causam, alii  
D Johan-

Johannis modestiam ponunt; alii propterea, ut scripto auctoritatem  
majorem fidemq; conciliaret, eum fecisse hoc putant; alii aliter.

XLVI. In eo v. quod Johannes Petro dicit: ὁ κύριός ἐστι, puta-  
mus, illum non tantum more tum temporis consueto locutum esse,  
quo Discipuli Magistros suos διδασκάλους καὶ κυρίους vocarunt, uti  
nonnulli observant, sed etiam respexisse ad veram Christi divinita-  
tem. Licet enim interdum nomen hoc ψιλῶς ἀνθρώποις ἢ λε-  
γουμένοις κυρίοις, quemadmodum etiam Θεοῦ vox, tribuatur, attamen  
negari non potest, quod in eminentiori propriaque in N. T. si-  
gnificatione de solo vero Deo adhibeatur, ac nomini τετραγράμ-  
ματῶ venerandoq; ἱεροῦ tam in LXXII. versione, quam in N.  
T. respondeat. In primis quando articulus ei adponitur, quod ad  
C. 20, 28. Joh. rectè observarunt Theophylactus ac Cyrillus. Nec aliter  
hoc loco dictionem nomenq; hoc accepisse puto Syrum itemq;  
Arabem, quorum hic per ܐܘܨܘܢ cum articulo, quod nomen, teste Lud.  
de Dieu ad C. 16, 8. Lucæ, soli Deo tribuitur, expressit; ille verò per  
dictionem ܐܘܨܘܢ (cui more suo ἐμφάσεως gratià suffixū addidit,  
quod nec textus Græci sententiā averfatur, quā de causā etiam  
Job. Piscator non malè explicavit per pronominis ἡμεῶν additionem:  
Dominus noster est, nec minùs etiam emphat. sonat versio B. Luth.  
Es ist der Herr) quam in singulari, uti hîc, positam, creaturæ in-  
communicabilem esse, Syri Maronitæ à Monte Libano adserunt, sicut  
id ipsum egregiè demonstravit Clarissimi, ac de Ecclesiâ Christi me-  
ritissimi Theologi filius Clarissimus, Dn. D. Johannes Tobias Major,  
Patronus & Cognatus meus intimè venerandus, in de Filiatione Chri-  
sti hominis Disp. thesi XI. §. 2. nec aliter etiam laudati vetustissimi in-  
terpretes vocem κυρίους reddidère Joh. 20, 28. 1. Cor. 8, v. 6. ubi simi-  
liter verum universi hujus Dominum per illam indicari, cum canā  
antiquitate indubiè credimus, meritoq; contra pestes illas Ecclesiæ  
Christianæ Photinianos, Enjedinum, Smalcium, Volckelium, Socinum,  
Ostorodum &c. propugnatus ac defendimus.

XLVII. Laudandus hîc meritò Petri fervor & ad Christum per-  
veniendi festinatio: ἀκρίτως γὰρ ὅτι ὁ κύριός (Syrus repetit hîc suum  
ܐܘܨܘܢ, uti etiam v. 12. Arabs verò utroq; loco reddit per ܐܘܨܘܢ,  
quod hominibus etiam, teste Lud. de Dieu competit) ἐστὶ, ἑβαλον ἑαυτῶν  
αὐτοῖς

εἰς τὴν θάλασσαν. Deterrere illum ac retrahere à proposito potuif-  
 sent praesentissimum periculum, *mare turgidum rabiesq; noti*, ut  
 cum Poeta loquar, tum etiam timor, ne abnegatione suâ Chri-  
 stum iratum adhuc haberet, ut ut jamtum aliquoties sese ei  
 resuscitatum exhibuerat, pristinumq; amorem testatus fuerat.  
 sed ille recordatus παντοδυνάμω Christi potentia antehac in si-  
 mili casu sibi praestita, nec non ὑπερῶπιτω καὶ ἀφάτω ejusdem  
 confidens misericordiae, sine habitatione ulla in mare sese dat pra-  
 cipitem. Hanc enim verbum βάλειν aliquando vim habet, vide  
 Matth. 5, 25. quo sensu etiam à LXX. pro ἔδωκε adhibetur, nec Syrus  
 quoq; ac *Arabs* aliter hinc accepisse videntur: reddidit enim ille  
 סמך | ; א abiecit, projecit animam suam, (i.e. se, ita enim  
 Orientales pleriq; pronomen circumscribere quandoque solent,  
 quod *Arabem* etiam fecisse hinc videmus;) hic v. קלף נשך  
 projecit, coniecit se, occurrit: has quippe significationes verbum קלף  
 in Conj. 4. habet.

XLIX. An v. modo naturali, *natando* sc., sicuti, *CL. Heinsii* ju-  
 dicio, operosè ac molestissimè describit hoc *Nonnus* Poeta, vel *pe-*  
*ditando*; an v. *miraculosè super aquas ambulando* ad Christum per-  
 æquor Petrus pertigerit, id Evangelista non exprimit, nec indici-  
 na quoq; ex *Arabe* aut *Syro* Prior sententia arridet *Bede* itemque  
*Theophylacto*, quos è nostratibus sequitur *Dn. D. Tarnovius*, è Pon-  
 tificiis *Cajetanus Toletus*, *Maldonat9*, *Contzen*, *Barrhadus*; Posterioris  
 est *Lyranus*, cui rationabiliùs videtur, miraculosè super mare am-  
 bulando, uti Matth. 14, 29. Petrum ad Christum properasse. Ra-  
 tiones illius hæ esse videntur 1. quòd non tunicâ se succinxisset,  
 si natando venire voluisset: hanc enim ipsi in natatione fuisse im-  
 pedimento vel remoræ. 2. quòd peditando id etiam fieri haut po-  
 tuerit propter aquæ profunditatem: aberat enim à terrâ ducentis  
 quasi cubitis, tanta in super ac tam alta erat aqua, ut navem septem  
 hominibus cum magnâ piscium copiâ ac reliquis navis piscatio-  
 nisq; instrumentis onustam facilè provehere posset. Addunt a-  
 lli, hoc magis exprimere zelum ac ardorem Petri, quàm si natan-  
 do ad Christum tendere voluisset. Sed objiciunt prioris senten-  
 tiaæ patroni, tunicam reverentiaæ causâ induisse Petrum, nec hanc  
 impedire potuisse Petrum, *quò minus nataret, cum non vestiti solum,*

sed & onerati possint natare, si exercitati sint, hujusq; artis, uti piscatores, qualis & Petrus fuit, periti. Ad illud deniq;, quod hoc magis indicet Petri desiderium, regerunt, aequè benè natando illud insinuari, deesse etiam hîc mandatum Christi, quale antea nim. *Matt. 14, 29.* ipse prius expectabat ac impetrabat. Tacente Scripturâ quis audeat firmiter hîc aliquid determinare. Quo fine autem Petrus in mare sese coniecit, nemo non, textu. licet non κατὰ τὸ πρῶτον indicante, facilè videt: *Syrus* tamen id indicare non gravatus fuit, subjungit enim: *ישוע ליה אנתא ד* ut veniret ad Jesum: uti habent Codd. editi omnes, at Codex MS. Academiae Altdorffinae pro his habet: *ישוע ליה אנתא & venit ad Jesum.*

XLIX. Vanè ad h. l. gloriatur *Contzen*; sociennos suo, demonstrare: non omne, quod disertè non precipitur Dei mandato, esse illicitum; putatq; enstasi hâc, quod Petrus injussu Christi hîc è navi in mare prosiluerit, madensq; ad eum venerit, infringi *Lutheranorum*, quos more Jesuitis consueto *hereticos* intitulat, universale pronunciatum, ac falsitatis convinci. Sed fulmen irritum ac stramineum, quo nos nequaquam terremur, licet multum in illo *Contzen* ponat roboris: cum exempla Heroica non statim sint imitanda; nec factum Petri per sese sit cultus divinus, de quo quaestio. Minimè autem factum hoc Petri signum fuit singulare Pontificatus Petri, per quod non navem unam, ut cæteri quicq; suam: sed seculum ipsum suscepit gubernandum; quemadmodum *λίαν ἀσνόπως* exposuit *Bernhardus* lib. 2. de Confid. ad Eugen. Sed fuit signum desiderii, ut explicat *χρυσόστομων ἐκείν* & *καὶ τοῦ θεοῦ δεινότερα πρὸς πατρὸς D.* *C. Chrysostomus* hom. 86. in Joh. cujus sententiam, ut ut non adeò ut prior ad Papæ primatum, quem cunctis viribus stabilire satagunt Pontificij, ad probandum trahi queat, eruditissimi Pontificij malunt præ illâ amplecti.

L. Quamvis verò Petrus summo ad Christum veniendi flagraret ardore, at tamen honestatis in vestitu debitæq; erga Præceptorem Dominumq; reverentiæ, nō immemore est. ἐπεὶ δὲ τὴν itaq; ἀξίωσιν, quia γυμνός erat: non quidem omninò, hoc enim haut credibile, sed quòd indusio saltim aliquo, ad minimum circa illas partes, quas natura velare jubet, fuerit tactus: idq; ipsa vox ἐπεὶ δὲ τὴν indicare videtur, quod rectè observarunt *Clm. Viri* *Dn. D. Glassius Rhet.* S. p. 456. & *Lud. de Dieu* ad c: 13, 4. *Johannis*, nec

nis; nec insolens etiam, Scripturam illos, phrasi Orientalibus usitata *nudos* vocare, qui non omnibus quidem, sed aliquibus saltem, attamen necessariis destituuntur vestibus. Quo sensu vocem *γυμνός* in N. T. Matth. 25, 36. Jac. 2, 15. itemque apud LXXII. 1. Sam. 19, 24. 2. Par. 28, 15. &c. accipi, statuit B. meus *Parens* Harm. Evang. ad h. l. Cui adde alterum quasi Parentem meum Dn. D. *Glasium* l. c. Hoc sensu etiam Ecclesia de Christo in notâ illa elegantissima cantilenâ passionali canit, quod *nudus cruci fuerit adfixus*. Id quod non de omnimodâ nuditate, sed de tali, qualis h. l. Petro tribuitur, in quâ *detractis vestibus usitatis, superior corporis pars ad umbilicum usque planè nuda, inferior verò linteo duntaxat cinctâ fuit*, intelligendum esse, docet B. meus *Parens* Harm. Pass. p. 624.

LI. Ἐπειδύτης nomine, quid h. l. intelligatur, magnæ sunt Auctororum, Philologorum cum primis dividia, multaque essent, quæ in rem hanc cum voluptate adferre, possemus, si palæstra hæc temporisque ratio admitteret. Videantur itaque, quæ de voce hæc tradunt *Camerarius, Beza, Flacius, Drasius, Fullerus* lib. 2. Misc. c. 11. p. 240. *Meu, Grotius, Maldonatus, Jansenius, Contzen, à Lapide, &c.* Nostra sententia est, licet nihil hîc jam firmiter adserere audeamus, fuisse vestimentum aliquod longius laxiusque, uti tógam, quod laborem adgressuri fibulis quibusdam constrinxerint vel einxerint, vel etiam, uti Petrum in piscatione hîc fecisse perspiciamus, prorsus deposuerint. E lino fuisse, *Nonnus* Poëta sensisse, videtur, reddit enim per *λίνεον πέπλον*, quod etiam *Clariss. Dieu* probatur: quamvis prædictus *Nonnus* totum Petri vestitum non hac solum appellatione, sed multis *valdè ridiculè, Heinsio* iudice, describat. Vid. *Arist. S.* p. 960. & 961.

LII. Reliqui Discipuli, etsi tantâ illos, quâ Petrum præditos non fuisse fiducia, concederemus; cum & ob captos pisces aliquos remanere necessum esset: magno tamen ardent amore, Dominum videndi, cumque haut procul à continente abessent, sed *ὡς ἀπὸ πηχῶν διακοσίων* ducentis circiter cubitis (*πηχῶν* qualis mensura sit, docent *Suidas, Pollux, Hesychius*, quibus præter Comment. h. l. addi potest è recentioribus *Arias Montanus* in *Tubalcain* voce *ἄδων*, pedis nimirum unius cum dimidio s. spatium à cubito usque ad extremitatem mediî digiti, quale dant viginti ac

quatuor digiti. Responderet itaq; spacium, quo à terra solidâ Discipuli reliqui abfuerunt, præter propter latitudini Albis juxta pontem hîc Wittebergæ) parvam moram patienter ferre malant, quàm dubiis maris fluctibus sese committere. Viderant quidem Petri animositatem, qui solâ fide pro navigio vectus ad Christum salutis portum properabat, non tamen audent, vel opus esse censent, præcursorem hunc simili *μεγαλοψυχία* imitari. Ne igitur vitio hoc illis verti posset, putant nonnulli, additum esse ab Evangelistâ, non longè eos à terrâ abfuisse, quin & rete eos simul traxisse. Moræ tamen etiam eosdem quodammodo impatientes fuisse, exinde quidam colligunt, quòd relicto in mari *πλοίω* i. navigio paullò majori & graviori, *πλοιάριον* navigiolum, majori illi, ut apud nautas more positum est, alligatum, adscendunt, sicq; Petrum ad Christum celeriter sequuntur. Non verò vacui veniunt, sed prædam s. rete piscibus captis refertum secum trahunt, gratitudinem forsan piscium aliquot oblatione illi, cujus consilio hi capti, testaturi: quamvis magis probabile, ideò pisces ponè se traxisse Discipulos, ut illos venderent. Nec inconueniens etiam est, si adseratur, interno Christi instinctu Discipulos pisces illos secum adduxisse, ut edendo aliquos de illis, perspicerent, reverà rem sic sese habere, nec *Φάντασμα* saltem capturam hanc fuisse.

v. 9.

LIII. Novo verò miraculo illis CHRISTUS Majestatem suam demonstrat. Quamprimum enim navì descendunt, vident *ἀνδρακιὰν κημένην, καὶ ὄψαρον ἐπικειμένην καὶ ἄρτον* (repete βλέπουσι κημένην, non verò ἐπικείμενον) cum nihil antea, quod edi posset, in littore fuerit. Generale quidem ὄψαρον nomen est, omne id denotans, quò cum pane vescimur, peculiariter tamen (sicuti & ὄψον) ἐπὶ τῶν ἰχθύων dicitur, prout ex *Athenæo* lib. 9. Dipnosoph. discimus: sicq; etiam adhibetur v. 11. & eadem significatione vocem prædictam hoc quoq;ve loco ab Evangelistâ adhiberi, Interpretes, quantum mihi constat, consentiunt omnes. Nec *Syrus* in aliâ sententiâ fuit: vertit enim per nomen speciale *ἰσθῆ* i. e. *piscem*, quam dictionem etiam v. seq. adhibet. *Arabs* v. nescio quid secum reputans h. v. per *ἰσθῆ*, sequenti verò commate per *ἰσθῆ*



ἡψωλν transfert. *Nonnus* ὄψων à *pisce*, quem tamen Græcorum consuetudine hîc notat, distingvit tanquam tertium. Manet verò miraculum idem, sive per enallagen numeri ὄψων pro ὄψωσιν positum concedamus, quod *Cyrillo* & *Hug. Grotio* placet, sive in singulari cum plurimis accipiamus: nec decedere etiam hîc aliquid Christi majestati putamus, sive aliquis *Cyrillo* aures porrigat, statuenti; *ex mari sine reti soloq; jussu Christum haussisse hunc piscem*; sive cum *Nicephoro* lib. I. H. E. c. 35. sentiat; *Sanctorum Angelorum manibus jentaculum hoc totum*, Christi sc. mandato, *fuisse preparatum*; sive deniq; cum *Chrysostomo*, quem *Epitomator* ejus *Theophylactus*, & hos *Tarnovius*, *Calixtus*, *Grotius*, *Pelargus*, *Maldonatus*, *Jansenius* & c. sequuntur, credat, *piscem hunc ex nibilo, uti & prunas ac panem à Christo fuisse creatum*: à quâ sententia non multum abeunt, qui *ex aère aliq; materiâ jentaculum hoc cum prunis fuisse à Christo productum*, ita censere videntur *Euthymius* ac *Leontius*, quorum explicationi subscribunt *Toletus* & alii quidam. An verò *Wigandi* expositio, qui, *Tarnovio* indicante, per anticipationem hæc intelligenda putat, ita ut piscis super prunas positus de illis fuerit, quos Discipuli ceperant, locum habeat, meritò ambigimus: cum piscis, panis & prunarum hic eadem ratio esse meritò censeatur. Causas, cur prandium hoc Dominus Discipulis instruxerit, latè è Patribus exponunt *Maldonatus* & *Pelargus*, qui evolvi possunt.

LIV. Haut tamen sat CHRISTO fuit, tanto & tam insigni miraculo suam Discipulis Deitatem h. e. divinam potentiam, realiter adsumtæ humanæ naturæ communicatam demonstrasse: sed placuit etiam ipsi, ut ex captis illis piscibus quosdã adferrent, quò se. probè viderent, non per phantasma se cum illis egisse, nec non, ut piscium multitudine accuratiùs inspectâ miraculum apud eos redderetur majus. Addunt quidam; propterea etiam hoc factum esse, ut admoneremur, licet DEUS de necessariis prospicere nobis promiserit, per labores tamen nostros id ipsum facere ei placere: quò facit illud Ethnici sapientis: *Dii bona sua mortalibus vendunt labore*. Nequaquam verò existimandum est, propterea Christum rete adduci voluisse, ac si piscis ille prunis impositus discipulis satiandis non suffecisset; cum antehac duobus

v. 10.

bus

bus piscibus quinque; hominum millia miraculose satiavit Joh. 6, 9. quod enim tunc fecit, idem & hic facile efficere potuisset. *Ἀέγδ' αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς*, inquit noster *θεὸς πνεύς* *Ⲙ. ἐπέγνατε ἀπὸ τῶν ὀψαρίων, ὧν ἐπιείσατε νῦν.* Editiones vulgatae versionis *Syræ* Græcum textum *κατὰ πόδα* sequuntur, at *Ms. Aldorffinum* interit particulam aliquam: h. m. enim in eo legitur: *ⲛⲏⲛ Ⲛⲟⲓⲟⲓ ⲙⲓⲛⲏⲛ ⲛⲩⲏⲏ ⲛⲓⲛⲏⲏ* *afferte de illis piscibus, quos cepistis nunc.* *Arabs* eodem modo, præmittit enim nomini *ⲛⲓⲛⲏⲏ* articulum *ⲕⲏ.* Quemadmodum verò Discipulis hinc tribuitur, quòd pisces ceperint, et si unicè ille causa hujus primaria fuerit, illi ministerialis: ita quoque in spirituali piscaturâ h. e. hominum per verbum DEI conversione Ministris Ecclesiæ tribuitur, quòd in totum à divinâ dependet virtute, inque eâ tantummodò piorum Dd. servitio DEUS utatur.

LV. Jusserat Dominus Discipulos, ut de piscibus, quos ipsi ceperant, quosdam adferrent. Dictum, factum. Promptè Christum imperanti morem gerunt, Petrusque *ὁ πανταρχὸς ἱερεὺς ἕ ἀεὶ τῶν ἄλλων προσηδῶν*, ut justo illum elogio ornat *D. Chrysostomus*, *ἀνεβη*, subintellige *πρῶτ' Ⲙ. εἰς τὸ πλοιάριον*: ita enim ellipticam hanc locutionem supplendam puto, quanquam *Syrus* etiam ac *Arabs* nudè verbum *conscendit* adhibeant. Nam quòd primus Petrus navigiolum conscenderit, tanquam artis piscatoriæ reliquis forsitan peritior, vel etiam, quòd, ut nonnulli existimant, ad ipsum navicula pertinebat, imò etiam fervore quoque, exsequendi Christi mandatum, ad hoc eum impellente, textus indicare videtur, *solum* verò eundem navigium conscendisse, reteque cum piscibus, quorum magna copia erat & gravitas, solum ope divinâ in terram traxisse, ut cum *Ruperto* ac *Gregorio* firmiter statuamus, textus nos haut cogit. Hinc rectè etiam à *Cornelio à Lapide*, (qui aliàs non negligens, Petro soli, causa neminem Jesuitici ingenii gnarum fugere potest, præ cæteris Discipulis multum vendicâdi,) contra *Rupertum* & *Gregorium* adseritur, quòd *reliquis Discipulis sociatus* Petrus rete in terram traxerit.

LVI. In eo verò *Cornelio* præbere ad sensum non possumus, quòd ubique hinc Petri, & per consequens Pontificis Romani, utpote

è Pontificiorum mente unici illius successoris, *primatus* in Eccle-  
 sià sc. *innuatur*. Certè per quàm ambiciosè *Cornelius* Petro tribuit,  
 quòd Petrus ipse, si in vivis esset, declinaret, *significari eo, quod re-*  
*te ille attraxit, tanquam Dux & auctor reliquorum, omnes pisces i. e.*  
*omnes fideles ab eo trabendos fore ac regendos.* Videat autem bonus  
*Cornelius*, ne Petri ac Pontificum sanctitatem lædat, quando sub-  
 dit: *Jobannes fuit magis dilectus, sed Petrus magis honoratus à Christo*  
*cæterisq; prelatus.* Sic subinde subditi sunt sanctiores suis rectoribus,  
 sed rectores subditi sunt digniores & auctoritate eminentiores.  
 Certè subinde subditi ac miseri laici in Papatu e mentito  
 illo, Petri succellere sunt sanctiores, quamvis non in dignitate  
 tantà, quantam Papa supra Imperatores ac Reges sibi arrogat,  
 coram hominibus constituti.

LVII. Insigne novumq; miraculum iterum considerandum  
 nobis Evangelista proponit. Plenum erat *δικτυον ἰχθύων ἑκατὸν*  
*πεντηκονταλέμων, eorumq; μεγάλων, ac insuper per mare à Disci-*  
*pulis trahebatur, imò etiam è mari in terram, ἢ τοσούτων ὄντων, ὅσα*  
*ἔχιδνη.* Observant hïc quidam, *δικτυον* esse genus retis minùs  
 firmum, quàm *ἀμφίβληστρον*, quàm de voce agit *Beza* ad c. 4, 18. it.  
 ad c. 13, 47. Matth. Sed in scripturâ S. discrimen non videtur in-  
 ter has dictiones observari, nec *Syrus* quoq; & *Arabs* aliquod ob-  
 servant, pro utrâq; enim dictione indifferenter adhibent unum  
 idemq; vocabulum, hic quidem *כַּבְשֵׁ*, ille verò *كَبش*.

Vocem *τοσούτων* Eclog. Græcæ MS. divisam exhibent h. m. *το σού-*  
*των.* Usurpari verò solet vox *τοσούτων* tam de *quantitate continua*  
 h. e. magnitudine, quàm de *discreta* i. multitudi-  
 ficatu cum h. l. tum etiam in aliis quibusdam, ubi tamen mani-  
 festum, posteriori significatione sumendam esse, accepit *Vulgatus*,  
 quem corrigit ob id *Beza*, adserens, *manifestè hïc de multitudine agi,*  
*non de magnitudine transfertq; cum Erasmo per tot.* Nos, cum fu-  
 giat hïc illa claritas, probabile existimamus, utroq; modo ac sen-  
 su ab Evangelistâ impræsentiarum dictionem hanc sumi, nec  
 tantùm de numero, verùm de magnitudine quoq; eidem sermo-  
 nem esse, quod rectè etiam ab *Estio* adseritur, nec dissentimus et-  
 iam ab eodem, explicatiùs ( ergo *Vulgatus* non satis explicatè  
 anstulit, proprio *Estii* Pontificii iudicio, cum tamen omnium  
 E optima

optima illius versio fuerit pronunciata )verti posse h. l. *Et cum*  
*tot tantiq; essent.* Hoc certè modo *Syrus & Arabs* vocabulum *τοῦ*  
*τῷ* h. l. accepisse nobis videntur, dum reddunt: *Et propter pon-*  
*ditus hoc.* An verò vocabulum *tanti*, quod *Vulgatus* hìc adhibuit,  
 ad utramq; pateat, usu *Scripturarum* illius temporis saltim, quæ parti-  
 cula cautè ab *Estio* abhibetur, non est hujus loci prolixè disputa-  
 re. Nec chartæ etiam patitur angustia, multis, quid mysticè per  
 numerum 153. piscium captorum intelligatur, inquirere. Videan-  
 tur *Dn. D. Tarnovius*, *Corn. à Lapide*, *Flacius*: in primis verò *Pelag-*  
*us. Syrus*, ut nec hoc omittam, addit post dictionem *rete* sub fi-  
 nem pronomen *ὅτι* illud.

V. 12.

LIX. Fessos Discipulos humanissimis nunc verbis *Christus*  
 ad prandium s. jentaculum. (ita enim *ἀεισον* apud *Homerum*  
 quoq; inveniri, ab aliis notatum) invitatur: *δεῦτε*, inquit, *ἀειση-*  
*σατε*, *adeste*, s. *venite*, *prandete*, *edite*. Utitur *ἀποδέτω*, celerita-  
 tis aliàs, quandoq; etiam confidentiæ notâ, quod *ἐυφαινωτέρας*  
 videtur, quàm si copulam *καί* inseruisset, sicuti *Apoc. 19, 17.* le-  
 gitur *δεῦτε καὶ στυάγεθε εἰς τὸ δεῖπνον* &c. Imitatus etiam id est  
*Syrus*: reddit enim similiter *ὀϊάα* *ὀλ* *venite*, *vescimini*.  
 Utitur verò *Syrus* verbo generali, quod non solum *prandere*, sed  
 in genere etiam *edere*, *epulari* in *Conj.* hâc significat, nec aliter  
 etiam *Arabs*, vertit n. per *ⲙⲟⲛ*, quod uti litteris, ita quoq; si-  
 gnificatione cum *Ebr.* convenit: negligit tamen *asyndeton*, hoc-  
 que modo transfert *venite*, *ut edatis*. Quod verò ad convivium  
 Discipulos hìc *Christus* vocat, illius causam esse putamus, non  
 solum ut à laboribus defatigatos reficeret, sed etiam vel maximè,  
 ut non per phantasma cum iis agi, sed reverà se adesse, illis de-  
 monstraret. Anxiè hìc, quamvis præter causam, quærun-  
 nonnulli, *an Dominus Discipulos suos ad unicum illum piscem de quo*  
*v. 9. an verò ad aliquos etiam de aliis, quos Discip. ceperant, invitavit.*  
 Prius *Chrysostomo* arridet, posteriùs *Euthymio & Augustino*, quibus  
 nos quoq; subscribimus. Nec aliud verba *Christi* v. 10. suadere  
 videntur. Uthinc nullam videamus rationem, cur *Barrhadas*  
 tam audacter in verbis *Evangelistæ* v. 9. enallagen statuatur, cui ta-  
 men calculum adjicere videtur *CL. Dn. D. Tarnovius*.

LX. An

LX. An in verbis sequentibus εἰς ἡ ἐτόλμα anticipatio quædam ab Evangelista facta, illisq; præmittendum sit, quod versu sequente legimus, nullus quidem, quantum novi Interpretum, movit, vel adnotavit. Videtur certè ad ὑπερολογίαν talem respexisse *Vulgatus*, qn. pro ἰωὺν μαθητῶν ponit *Discumbentium*; nisi potius Scriptoris alicujus, qui textum Græcum non inspexit, error est. Probabile enim putamus, translatum primò fuisse *discentium*, quemadmodum etiamnum adhuc in Codd. nonnullis MS. Latinis legi, testis est *Job. Harlemius* in syllabo V. L. vulgatæ versionis ad textum Græcum & Syr. vers. examinatarum, & consensu Theologorum Lovaniensium operi Regio adjunctarum, quod postmodum Scriptor aliquis, quia novum est, ubi observavit *Jansenius*, Participium *discentium* ponere pro nomine *Discipulorum*, mutavit in *discumbentium*, cujus simile exemplum etiam Lucæ 19, 37. occurrere, idem *Jansenius* notat. Rectè verò sentit laudatus *Jansenius*, clarissimus Scriptor Pontificius & Episcopus Gandavensis, legendum esse *discentium* s. *Discipulorum*, cum non tantum correctæ plenæq; *Biblia* (maluit tamen *Sixtus* Papa corrupta edere, eaq; à Concilio Trident. adprobari & pro authenticis pronunciari) ita habeant, sed & *Græca* apertè hoc indicent. Nec possunt etiam *Barrhadus*, *Maldonatus*, *Cornelius à Lapide*, *Toletus*, qui duo ultimi eò procedunt audaciæ, non dicam dementiæ, ut fontem Græcum ad impurum rivulum corrigi velint, aliiq; Pontificii, editionis Sixtinæ Patroni, ad hystorologiam hîc confugere. Nam, ut tot. è Græcia & Oriente testes, quos magnâ copiâ ὁμοψήφως consentientes contra protervos hos homines adferre in proclivi esset, jam nunc non urgeam, cum gnathones hi ob unicam Papæ auctoritatem temeritate summâ istos hîc vilipendant ac rejiciant, certè ipsa textus συνάφεια corruptæ isti lectioni vulgatæ refragatur: si enim, ut de suo tela hæc contra Sociennos suos mihi largiatur prædictus Episcopus Pontificius, ordinem observaverimus, quem tenuit *Johannes*, videbimus eum non voluisse significare, quòd ex discumbentibus nemo eum ausus fuerit rogare, sed quòd vocati ad prandium, priusquam accumberent, non ausi fuerint propter certitudinem eum interrogare, sed certi, ipsū esse Dominū, accumbere non dubitaverint.

LXI. Impletum hîc deprehendimus, quod Christus Disci-

pulis ante mortem prædixerat Joh. 16, 22. πάλιν ὄψομαι ὑμᾶς &c.  
 & v. 23. καὶ ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ ἐμὲ ὅσα ἐρωτήσετε ἑδέν. Satis clarè  
 hoc indicat Evāgelista ἑδείς δέ, inquiring, ἐτόλμα τῶν μαθητῶν ἐξε-  
 παίσαι αὐτὸν, Σὺ τίς εἶ; eodem prope modo *Syrus* ac *Arabs*. Mi-  
 nor autem, cur Interpretes quidam sese macerent, ob quam caus-  
 sam Discipuli non fuerint ausi, Christum, quis esset; interrogare:  
 cum Johannes apertè id significet, qn. subjicit statim: εἰδότες ὅτι  
 ὁ κύριός ἐστιν, ex vultu, voce, factis, ut observavit *Hug. Grotius*.  
 MS. Eclogæ Græcæ singularem forsan hîc in verbo ἐστιν emphasin  
 vel euphoniā quærentes, illud sub finem acuunt. Propterea v.  
 non audebant Christum, an is esset, qui in mortem se tradiderat  
 ac sepultus fuerat, interrogare, quia non opus esse putabant, ,  
 cum sufficienter id ipsum clarissimis τεκμηρίοις ipse demonstra-  
 ret Dominus, nec vix scrupulum ullum dubitandi relinqueret,  
 unde rectè *Glossa Interlinearis* ad h. l. *Tanta erat evidentia veritatis,*  
*quòd Jesus esset, ut nullus eorum auderet, non solum negare, sed nec du-*  
*bitare, & idè non interrogare.* Insinuat itaq; Evangelista verbo  
 τολμᾶν hoc loco, non quasi opus fuerit interrogare, cum propter  
 formæ majestatem non satis Dominum cognoverint, hâc tamen, tum et-  
 iam miraculi evidentia convictos, Discipulos deterritos fuisse, ne inter-  
 rogarent, uti *Chrysostomus* ejusdemq; ad seclā *Theophylactus* censent.  
 Sed quòd tanta manifestationis hujus, per tot sc. miracula, fuerit  
 evidentia, ut prorsus supervacaneum duxerint Discipuli, an  
 Dominus ac Magister illorum, quo cum antea fuissent conver-  
 sati, ac similia miracula ab eodem perpetrari vidissent, ipse esset,  
 inquirere, ex ipsoq; cognoscere.

LXII. Quem itaq; antea secuti fuerant ut Dominum ac  
 Magistrum, huic nunc quoq; invitanti jure lubenterque parent,  
 promteque sese sistunt. Cum v. uti probabile omnino est, ex reve-  
 rentiâ primi cibum adtingere non audebant: ipse ὁ Ἰησοῦς ἐρχεσθαι,  
 καὶ λαμβάνει τὸν ἄρτον, καὶ δίδωσιν αὐτοῖς &c. Insertum hîc, si *Gu-*  
*lielmo Cantero* fides habenda, Codd. quidam MS. agnoscunt parti-  
 cipium εὐχαριστήσας: quæ lectio quidem non mala, si alii antiqui  
 Codd. Græci, quos *Beza*, *Franc. Lucas* aliiq; cõtulerūt, consentirent,  
 verùm cum plurimi & antiquissimi Codd. Græci, quibus hoc loco  
 non immeritò ad numero *Eclogas* illas *Græcas*, aliquoties hæctenus  
 allega-

allegatas, Latin. itidem omnes, nec non versiones *Syra & Arabica*, illud ipsum hoc loco non agnoscant, an lectio illa Codicis *Canter.* recipienda sit, nolumus adserere. Suspicamur verò dictionem istam à religioso quodam lectore, qui alibi, quando Christus cibum sumsit, eandem legit, Codici alicui fuisse in margine additam, indeque, quod non rarò in Bibliorum quibusdam Codd. factum esse, aliquot exemplis Philologi probant, à descriptore ipsi textui fuisse postmodum insertam. Quæritur itaq; cur Christus hoc loco cibo non benedixerit, in cœlum suspiciendo, quod ante passionem aliàs ipsum factitasse, ab Evangelistis edocemur. *Chrysostomus*, quem more suo *Theophylactus* sequitur, existimat, idè à Christo hoc factum esse, *quia hîc ut DEUM se gesserit, antea vero, ut hominem; simulq; ut ostenderet, illa permissionis gratiâ fecisse.* Sed post resurrectionem quoq; λαβὼν τὸν ἄρτον εὐλόγησε Luc. 24 30 i. e. λαμβάνει τὸν ἄρτον εὐλογήσας, ideo alii, quos inter *CL. Tarnovius*, libertatem gestuum in orando hîc indicatam & probatam volunt.

LXIII. λαμβάνει τὸν ἄρτον sc. ὁ Ἰησοῦς. Fortè ritu Judæis Patribus familiàs, qualem hoc loco Christus repræsentavit, tum temporis usitato, (quò de videri possunt *Camero* ad C. 26, 26 *Matt. Buxt.* *Synag. Jud. C. 7. idem* in *Lex. Talmud. Rabb. rad. γγ* *Tarnov.* ad C. 13 *Joh. quæst. 2.* & quos dicti Auctores allegant.) καὶ δίδωσι αὐτοῖς, καὶ τὸ ὀψάριον ἐμίωσ. eodem modo vertunt *Syrus & Arabs*, (qui insuper ὀψάριον h. l. per tale vocabulum reddunt, quod specialiter piscem notat) nisi quòd verba saltim quædam transponant. *Annon v. & ipse Christus quodq; comedit?* Non quidem expressis hoc verbis Evangelista indicat, quemadmodum nec *Arabs* vel *Syrus*: dubium tamen nobis nullum, convivam & Dominum Discipulis se exhibuisse. Probat hoc *Dn. D. Tarnovius* quattuor rationibus 1. quia scopus ita exigebat, qui erat manifestatio (& Confirmatio Act. 1, 3.) suæ resurrectionis. 2. fecit ante Luc. 24, 42. ergo & nunc. 3. nisi fecisset, Discipuli ipsum phantasma esse suspicati fuissent. 4. dicit: venite, prandete, nimirum mecum: non: ite & prandete. Quibus omninò addi potest locus Act. 10, 41. quamvis nos non lateat, quid ad hunc *Camero* myroth. p. 168. excipiat.

LXIV. Post accuratissimam manifestationis hujus historicam descriptionem, addit Evangelista tempus, quando illa conti-

gerit, postquam nim. ex mortuis Christus resurrexit. nec in hac tem-  
poris determinatione generali acquiescit, sed insuper indicat,   
quota hæc fuerit inter Christi, post resurrectionem adparitio-  
nes. Neq; enim probabile nobis, quod B. Augustinus, quem sequi-  
tur *Glossa interlinearis*, it. Grotius & Contzen, dicit, *Evangelistam respi-  
cere ad diem, quo manifestatio hæc facta, tertium* sc., ex quo Discipulis  
Hierosolomis congregatis secundo adparuit, cum admodum incertum  
sit, eosdem tam celeriter post manifestationem illam Hierosoly-  
mam reliquisse (sanè, id quod Contzenio opponi potest, post octo  
ut minimum dies Discipulos in Galileam Hierosolymis ivisse, putat Mal-  
donatus) & ut hoc factum, tam subito Capernachum, quod quin-  
decim, sive Bethsaidam, quod oppidum quattuordecim milliaribus  
ab Hierusalem fuit dissitum, prout Geographi tradunt, appulisse,  
ac statim ex peregrinatione, fessosq; adhuc piscationem fuisse ad-  
gressos: quid? quod si ad tempus indicandum, nomen hoc in N.  
T. adhibetur, ferè semper ei addi soleat suum substantivum *ἡμέρα*.  
Vid. Matth. 16, 21. C. 17, 23. Marc. 9, 31. Luc. 24, 7. Joh. 2, 1. & c. Magis  
itaq; illorum arridet nobis sententia, qui ad manifestationum nu-  
merum dictionem *ἑξήκοντα* respicere putant, redduntq; *tertium*, sive,  
quanquam minus benè Latinè, *tertiâ vice*. Ita sanè quoque  
accepisse videntur *Syrus* ac *Arabs*. Non tamen existimandum, ita  
vocari manifestationem hanc tertiam, quasi inter omnes fuerit  
tertia: sed ita statuendum, quod ipse Johannes etiam nobis osten-  
dit, quando addit nomen *μαθητῶν*, inter illas hanc fuisse tertiam,  
quæ pluribus Discipulis factæ, & quas Johannes Evangelicæ histo-  
riæ inseruit. Aliàs enim absolutè loquendo, septima fuit, ut rectè  
sentit *Cornelius à Lapide*: quo cum videat, quomodo in gratiam re-  
deat *Maldonatus*, qui octavam hanc esse adfirmat, primamq; adpa-  
ritionem Mariæ factam esse adserit credendum, non quòd *Evange-  
liste hoc factum, dicant: sed quia fieri decuerit*. quod quàm ineptè à  
Jesuita dictum sit, eleganter ostendit *πολυμαθὴς Casaubonus*  
Exerc. 183. ad Ann. Baronij.

LXV. Prandio peracto sermonem cum Petro Dominus insti-  
tuit. Dici verò vix potest, quàm sibi in hoc Pontificii placeant,  
adeò quidem, ut vix ullum in Scripturâ S. locum habeant, in quò  
Primatus Papæ (huic enim, *et si Petri nomen ceu aliquod κωμικὸν δο-  
ρυφύ-*



*euQoenue*, ut scitè loquitur *Casaubonus*, ad speciem hìc jactent, Pontificii, Jesuitæ imprimis tantam navant operam, pro hoc tot concertationes prompto animo suscipiunt, pro hac Helenà tam cruentas pugnas Romanæ meretricis adoratores excitant, )ex ipsorum Pontificiorum sententià magis stabiliatur ac confirmetur, quàm in hoc præsentì. Licet enim alterum Primatus Papæ fundamentum ponant in C. 16. Matt. v. 17. & seqq. manifestũ tamen est, quòd illud multò, illis ipsis fatentibus, imbecillius sit, quàm hoc, cum in illo primatũ saltim Petro promissum, hìc v. demum solenniter eidem collatum, scribant. Tria autem sunt, quæ hìc potissimùm inter nos & Pontificios in quæstionem veniunt: 1. an cum Petro ita solo Dominus fuerit locutus, ut ad Petrum quoq; solum, reliquis Apostolis exclusis, Christi mandatum pertineat sermoq; spectet. 2. an omnium omnium h. e. hominum cura ita Petro sit commissa, ut sine restrictione vel limitatione ullà ille solus cum suis successoribus gregem Domini pascere debeat, nec gregem solum; sed ipsos quoq; Apostolos & Doctores Ecclesiæ cæteros. 3. quid pascendi verbo Christus intellectum velit, an talem quoq; hìc vim habeat, ut politicam etiam potestatem supra Reges ac Imperatores inferat. Pontificii, imprimis Jesuitæ adfirmativam hìc defendunt partem, Lutherani negativam.

LXVI. Inquiramus igitur nos primùm oportet, quâ de causâ Christus cum Petro eoq; solo discursũ jentaculo peracto instituat. Magni sanè hunc momenti esse, exinde colligere est, quòd Evangelista noster illos sermones omnes, quos dubio procul suavissimos utilissimosq; Dominus cũ Discipulis serebat, præterierit, & hunc solum diligenter adnotandum putarit. Quamvis v. tam absurdi non simus, ut adseramus, nec è nostrâ quoq; explicatione sequatur, (quod quidem Jesuita *Maldonatus* necesse esse putat,) nihil aliud hoc Colloquio Christum voluisse, quàm Germanico more amicitiam prandio conciliare: adfirmamus tamen, non firmiter à Pontificiis concludi posse, quia Eucharistia post cœnam fuit instituta, quæ res magna & singularis fuerit, ita eodem modo, qui post prandium colloqui cepit cum Petro solo, singularem aliquam præ cæteris potestatem eidem fuisse traditam. Ansam v. colloquio huic præbuisse putant Interpretes anteactam piscium capturam, à quâ ad spirituales piscationem Christus transierit, quod alibi quoq; Salvatore

vatorem

vatores nostrum fecisse, quòd sc. occasione corporalium ad spiritualia transierit, historia Evangelica abundè nos docet. Discursum v. hunc Christi, cum Petro quidem solo institutum, *ad omnes tamen Discipulos spectasse*, inde nostrates probant, quòd causa, ob quam præcipuè colloquium hoc susceptum, Petro cum reliquis Apostolis fuerit communis. Est verò illa, gravissima Petri & reliquorum Discipulorum à Christo defectio, & restitutionis in ministerium, è quo per illam excidisse videbantur, confirmatio. Istam non à Petro solùm, sed à reliquis etiam Apostolis, quamvis non eodem gradu modoq;, factam esse, quis negabit? illam verò iisdem quoque obtigisse, inficias ire nemo potest, nisi perverse ac protervè adlerere velit, gratiosissimam illam Spiritus S. donationem, quâ de Evangelista noster præced. Cap v. 22. & 23, ad Petrum solùm, non v. ad reliquos simul Apostolos pertinere, itemq; universale illud Evangelii prædicandi mandatùm, quod Matth. 28, 19, & 20. it. Marc. 16, 15. adnotatum, non æquè reliquos Apostolos, ac Petrum adtingere.

LXVII. Ideò v. præ cæteris Petrum alloqui voluit Dominus, quòd is præ reliquis insigniter defecerat, cum non fugà tantùm, ut reliqui, Dominum suum deseruerat, sed trinâ insuper abnegatione, additâ quoq; execratione, gravissimè eundem offenderat. Placuit itaq; misericordissimo Salvatori nostro eximium hîc *Φιλαρθεωνίας* suæ edere exemplum, dum illum, qui præ cæteris maxime ipsum offenderat, in pristinam gratiam non recipit solùm, sed gravissimum insuper Apostolatus officium, è quo in Christi passione, turpiter Dominum suum abnegando, exciderat, denuò committit ac mandat. E quo factò facile de se etiam Discipuli reliqui conjecturam sumere poterant, ac secum concludere: illud ipsum, quod Petro à Jesu dictum ac mandat, sibi quoq; dici ac mandari.

LXII. Dominum igitur, solum Petrum in præsentì colloquio adlocutum esse, ipsâ lubentiâ lubentiores largimur, cum non verba Christi solùm, sed Evangelista etiam satis id ipsum indicent. Prætermisis v. Evangelistæ verbis, Jesuita *Maldonatus* h. l. in Christi allocutione observat, *cur non Simonem Petrum, sed nomine antiquo Simonem*

*Simonem Jon. i. vocaverit.* Nolo hinc sub considerationem vocare,  
 ineptam Pontificiorum quorundam de voce *Iovæ* sententiam: cum  
 ipsi paullo eruditiores ac sapientiores illorum socii non dese-  
 rant solum hanc sententiam, sed etiam refutent: sed *Maldon.* Viri inter  
 Pontificios sat docti & acuti, videbo saltem rationes, quare antiquum  
 nomen hic Dominus retinuerit. *Dixerat enim illi,* scribit Jesuita,  
*cum ad Apostolatum vocavit* (ergone antea Petrus non fuit Apосто-  
 lus, quam scilicet insignis illa Petri confessio & hanc sequuta novi no-  
 minis impositio Matth. 16, 8. contigit. quod v. adinet locum Joh.  
 1, 42. ille non probat id, ad quod a Maldonato adducitur: quid?  
 quod multi Interpp. istum ita exponant, non quasi tunc vocatus  
 fuerit statim Petrus, sed quod hoc nomen eidem Jesus prædixerit  
 imponendum fore, ut non jam (an igitur nomen *Simon* abolitum,  
 post novi nominis super prius impositionem? ipse Christus hoc re-  
 futat, dum hic eodem, antiquo scilicet nomine, Petrum adpellat. Vid.  
*Jansen.* comment. concord. Ev. p. 120.) *Simon Jona, sed Petrus i. e.*  
*petra vocaretur, supra quam petram.* (quam pulchra hæc verborum  
 Christi declaratio & ad Petrum accomodatio! temporis chartæq;  
 angustia non patiuntur, palæstram hanc ingredi. Videantur, qui  
 diu sese in eâ exercuere Dn. D. *Calixtus* Conc. Evang. lib. V. C. 8. pag.  
 216. & seqq. Dn. D. *Hurnius* de R. E. & Antichrist. p. 1358. *Chamier*  
*Panstr.* Tom. I. lib. 3. C. 3. §. 42. & seqq. it. Tom. II. lib. 11. C. 2, 3, 7. &  
 16. *Camera* in prælect. Theologicis) *Ecclesiam suam erat edificaturus,*  
*suprà C. 1, 42.* (nihil hic de Ecclesiæ fundamento) *dicit ergo nunc il-*  
*li, Simon quidem hætenus fuisti Simon Jona, nunc tempus venit, quo*  
*tempore Petrus futurus es: volo nunc super te Ecclesiam meam edificare*  
*i. e. oves meas* (cautè hic omittit *Maldonatus* signum universale, quod  
*Bellarminus* multiq; alii Pontificii de suo verbis Christi adfricare  
 solent) *pascendas tibi committere, quemadmodum tibi promiseram.*  
*Matth. 16, 18.* Non ignoro, etiam ante vocatum fuisse fortasse (ergò incer-  
 tum, num tum temporis demum, quando ad Apostolatum Petrus  
 fuit vocatus, Pastorq; oviû confirmatus, fore, ut non jam *Simon Jona,*  
*sed Petrus i. e. petra vocaretur,* quod tamen paullo ante pro certo ad-  
 tulit *Maldonatus*) *Petrum, ut apud Matth. C. 10, 2. disputavimus: sed hoc*  
*dico, videri* (rectè videri, nam res valdè incerta) *non sine causa Chri-*  
*sti, in hoc loco non Petrum, sed pristino ac proprio nomine Simonem adpel-*  
F
lasse

lasse, quia utcumq; Petrus vulgo vocari coeptus esset, tamen nondum Petrus i.e. petra & fundamentum (super Christum sc. fundatum, ut reliqui etiam Apostoli ac Prophetæ Eph. 2. 19. si enim non hoc modo Maldonatus id intelligit, nec nunc quoq; tale factus Petrus) Ecclesie factus erat.

LXIX Sed enim ad Petrum quoq; solum, cæteris Discipulis exclusis, Discursum Christi spectare, ipsa comparativa Christi locutio innuere videtur: dicit n. non simpliciter, ἀγαπᾶς με: sed insuper adnectit πλεῖον τούτων, quam comparationem nequaquam addidisset, si reliquos æq; Apostolos, ac Petrum sermo & mandatum Christi h.l. respiceret. Ita quidem, sed admodum infirmiter ratiocinantur nonnulli Pontificii, mirèq; hinc exagitat Contzen illorum expositionem ac absurdam imò rudem vocat, qui ita verba Græca transtulere: diligis me plus, quàm bos. Nos quamvis nolumus illorum, quicumq; etiam sint, suscipere hinc patrocinium, cum ἀμφοῖν concedamus, ita verba Christi intelligenda esse, ut comparatio inter amorem Petri & reliquorum adversus Christum instituat, opponimus tamen thraconicis Contzenij verbis S. Bernbardum, qui serm. 76. in Cant. comparationem hanc non inter amantes, sed inter amatos institutam accipit. An igitur etiam S. Bernbardus tibi, Contzeni, rudis? an absurdus? qui tamen Bellarmino vir planè Apostolicus & non minùs glorià miraculorum, quàm sapientiæ splendore illustris audit. num adeò vilipendis, Contzeni, sociennij tui & insuper purpurati iudicium? Sed age dispiciamus, quàm manifestè, uti quidem adfirmas, Syrus reddiderit. Verba ejus sic habent

אנין אהבתיך יותר מכל בעהמות. annon phrasis hæc, nisi contextus aliud suadeat, duobus, imò tribus ut transferatur modis, scilicet. amas me plus quàm bec, plus quàm bi, & plus quàm bos, omninò patitur? neque enim necesse est, ut pronomini אהבתיך quando in Accusandi casu accipi debet, semper præfigatur א, quod, Contzeni, tibi forsan persuasum habes: in primis quando dictionem יותר sequitur ו. Vid. Joh. 7, 31. nec obstat, quòd in simili locutione Matth. 10, 27. pronomini præponatur, id enim sæpè pleonasticum est, ut Deus loquitur ad C. 1, 22. Matt. h. e. affir-

*affirmationis emphasin aliquando notat, eodem teste: nec opus quoque fuit, hoc loco, ad indicandum casum obliquum adhibere, cum ipsum pronomen illum satis monstret. Ambos itidem ambiguè loquitur; utroq; enim modo phrasis ejus exponi aliàs potest, cum, ut in obliquo casu pronomen accipiatur, non semper necessum sit, litteram Lam eidem præfigi. evol. Joh. 7, 31. &c.*

LXX. Interim non largimur solùm, sed etiam ipsi adserimus, in casu recto commodiùs, quàm in obliquo Pronomen Ἰστων h. l. accipi: nec tamen inde *Contzenio* & sociennis suis concludere licet, *propter hoc ipsum cæteros Discipulos à colloquio hoc, maxime Christi mandato, excludi.* quod num *Junius, Danaus, Sutlivius* concedant, id quod *Contzen* quidè existimat, nolumus hîc disputare. Id v. ventilandum venit, unde occasionem Christus sumserit, Petrum *num plus quàm alij Discipuli ipsum diligit, interrogandi.* Nos occasionem quæstioni huic comparativæ dedisse dicimus præsumtionem Petri, quâ ante Christi, Domini sui passionem cæteris se Discipulis prætulerat, censemus igitur Dominum comparativâ locutione hoc voluisse apud Petrum; *num eâdem, quâ ante lapsum, ad hoc es confidentiâ, ut super alios constantiâ & adversus me amore te offeras, qui trinâ negatione turpiter me abnegasti.* Pontificiorum v., quibus *Hug. Grotius* suffragium hîc suum dat, sententiam, quâ statuunt, *ansam Christum sumsisse, comparativè Petrum interrogandi, ex recenti ejus factò, quo unus se in mare conjecit, id quod singularis fuit amoris,* ut sit sensus hujus quæstionis: *diligis me plus his, quemadmodum videris, modò demonstrare voluisse,* minùs hoc loco stare posse, ipsum Petri responsum monstrat. Hoc enim cum non comparativè, sed simpliciter ac nudè accipiendum sit, ipso *Barrhadâ* fatente, indicio quoque nobis est, Christum non tam Petri fervorem hîc laudare, quàm præsumtuosam illam confidentiam & abnegationem, in memoriam revocare voluisse: quâ re etiam intellectâ Petrus non comparativè, sed nudè respondere voluit.

LXXI. Demonstrato hætenus ostensoq;, quòd Christi mandatum & discursus cum Petro, cæteros Apostolos (& per consequens, eorundem successores) etiam concernat, facile quoq; patet, quid de secundâ Pontificiorum adsertione sentiendum sit: si enim

omnes omninò Christi oves Petro fuissent demandatæ ejusdemq; successoribus, reliqui Apostoli fuissent ociosi, nec opus fuisset, ut in plurali Christus loquutus fuisset Joh. 20, 21. & 23. *accipite Spiritum S., ego mitto vos &c.* Sed dixisset procul dubio: *accipe, Petre, Sp. S., ego mitto te &c.* pari etiam modo Matth. 28. v. 19. & 20. *Αὐτῶς* quoq; Petrus se *οὐμνησθε βύτρεγ* vocasset, reliquosq; Presbyteros, *ut gregem Dei pascant*, saltim dicis gratià admonuisset, si ille solus cum suis successoribus potestatem oves Christi pascendi haberet. Evincere tamen hoc conantur Papicolæ ex verbis Christi *βόσκε τὰ ἀπὸν εἶ μού.* Scribit de his *Contzen*; plurimum hoc tempore agitari, adeò ut vix alia sint in Johanne, quæ magis hæretici torqueant & lacerent. Itane, *Contzen*, absurdus es, ut ignores quantopere & quàm variis Photiniani machinis C. I. nostri Evangelistæ, quod de æternâ Christi Deitate agit, impugnent? an latet te, quanta & quàm multa ijdem *Χριστῶν θεομαχοί* quærant latibula, ut eludant classicum illum locum Joh 20, 28. an adeò in Socinianorum scriptis peregrinus es, *Contzeni*, ut te prorsus fugiat, quantis viribus C. 8. adgrediantur, ut æternam Christi generationem destruant? Alia multa non attingo. Sed frivola hæc cuncta sunt *Contzenio*, modò meretrix illa Babylonica, cujus regimen Politicum & absolutum Dominium, ex Petri, licet huic nec seratur hîc, nec metatur, primatu, quem è nostro textu probare Pontificii satagunt, non violetur, modò Antichristi auctoritati nihil decedat: lacerentur ac torqueantur licet tot insignia de Christo - Deo in Johanne testimonia. Sed non mirum, *Contzenium* plùs sollicitum esse de dictis, quæ de Pontif. Romano agere ipsi videtur, quàm quæ de Christo, cum, uti è Papicolarum antesignano *Bellarmino* videre est, *quando de P. R. agitur, de summâ rei Christianæ* è Pontificiorum sententiâ agatur. Verùm accedamus & videamus, quam *lacerent* nostrates (hos enim quoque, licet Calvinianos præprimis refutandos sibi sumat, tam egregio hæreticorum titulo *Contzen* ornat) & *torqueant* hæc Christi verba. Volunt ex illis evincere Papæ admiratores, propè dixerim adoratores, *CHRISTUM* his ipsis omnes agnos, omnes oves Petro & consequenter Pontifici Romano soli, modo quodam peculiari, à quo cæteri Apostoli illorumque successores sint exclusi, commississe, & ita quidem, ut quoque dicant, se Petro ejusque successoribus (per quos non omnes fideles Ecclesiæ ministros, sed

sed

sed solos Pontifices Romanos intelligit Bonif.) non esse commissos, necesse sit fateantur, se de ovibus Christi non esse, scribit Bonifacius VIII. c. unam sanct. extr. de maj. & obed. Similia habet *Barrbadas* lib. IX. c. 3. Tom. IV. Comm. in C. Negant sequelam Lutherani, & interpretationem hanc non admittunt, idq; merito, suadentibus, immò jubentibus clarissimis Scripturæ S. testimoniis suprâ allegatis, quibus omninò add. Act. 20, 28. sicuti enim *claves Ecclesiæ non soli Petro, sed reliquis etiam Apostolis & eorum successoribus data sunt*, ut verè scribit *Aug.* tr. 123. in Joh. licet traditio soli Petro facta videatur, quoniam ad solum Christus tum dixit *δώσω σοι τὰς κλεῖς* &c. ita quoque cura pascendi oves Christi reliquis etiam Apostolis demandata, ut ut cum solo Petro in textu nostro Christus loquatur.

LXXII. Vana igitur est *Barrbadae* jaclantia, quando ita *εὐπομπέως* sedis Romanæ præco: *Cuinam reliquorum Apostolorum dixit: pascite agnos meos, pascite oves meas? nulli sanè. Cui reliquorum dixit: super hanc petram edificabo Ecclesiam meam? Soli Petro & successoribus hæc dicuntur; quia in Petro (cur non super Petrum?) edificavit Dominus Ecclesiam suam, Petro omnes oves suas pascendas commisit, Pastori omnium maximo. Qui hæc videre nolunt heretici, quique Petri (& successoris sc. ejus fictitii, Papæ Romani: hunc enim *μειθωτὸν*, immò *ἀλλότριον καὶ κλέπτῃν* obtrudere nobis conantur Papicolæ) oves esse recusant, à tartareis lupis miserandum in modum dilaniati pereunt. Miseret me sanè piorum Lutheranorum, quibus tantum malum, quòd Papam Romanum adorare ac pedes illius deosculari detrectant, mendaci *Contzenii* spiritu prædicente, imminet! Laudem igitur sc. meretur Dux Albanus, monstrum illud hominis, aliiq; qui tamen communiter Tyranni audiunt, quòd gladio & igne, qui Papæ Romani oves esse recusarunt, ad ovile illius compellere non destitère. Sed benè interim nobiscum agitur, dummodò Christum Pastorem *ἀρχιποιμένα* habeamus, & amicam illius vocem, Scripturâ S. comprehensam, audiamus ac seqvamus, quicquid etiam e mentibus ille Pastor f. Monarcha Romæ clamitet ac murmuret. Perpendat tamen infanus ille Pontificis Romani admirator *Contzenius* clarissima Sc. S. dicta præced. thes. allegata, quæ hîc repetere nolumus.*

LXXIII. Consideranda jam nunc essent, quæ nimis subtiliter Cardinalis *Bellarminus* in vocabulis *ἀγρία* & *πρόβαρα* (pro quo, priori loco legendum putat *πρόβαρα*) quærit: verum cum levicula adeo illa sine ac frivola, ut ipsis sociennis ejus non probentur, (tam magna verò Cardinali visa, ut textum propterea authenticum corrigere fuerit ausus) nolumus tempus chartamque levisomniis hisce s. recensendis s. refellendis consumere. Id saltem addere placet, nil juvare *Bellarminum*, quòd cum *Syrus*, cum *Arabs* editionis *Leydensis* tria distincta hoc loco adhibeant nomina: Ut ut enim hoc illi faciant, non tamen inde concludere licet: E. in textu Græco distincta quoq; debent esse nomina. E. hodierna lectio textus Græci corrigenda, cum versio Latina id suadeat. Negamus, ut dixi, sequelam hanc: nihil enim versio Latina præjudicare potest textui Græco, in primis quando ad est exemplarium consensus & Patrum Græcorum par allegatio, uti in præsentiarum. Quod autem attinet Paraphrasen *Syrum* & *Arabem*, illi *Bellarmino* non patrocinantur; putamus v. istos pro arbitrio diversas hæc adhibuisse voces, maxime, cum, licet in *Græco* duo distincta occurrant vocabula, illa quoq; indiscriminatim hæc adhibeantur, nihilq; mysterii, ipsis Doctioribus Pontificiis fatentibus, importent. Alias notum est, *Syrum* multa habere à *Græco* textu peculiariter, vel quia paulò diverso à *Codd. nostris* Græcis usus fuit exemplari, vel quia textum, eodem tamè non refragante, supplere delectatus est. Sic in nostro cap. v. 15. 16. & 17. ante  $\text{ἰ}$  insertum nomen  $\text{ἰ}$  textu quidem Græco non reclamante: interim tamen  $\text{διὰ πρὸς ἡν}$  non exhibente, unde etiam in Codice *Aldorffino*, in quo nescio num magis egregiam ferè ubiq; cum textu Græco convenientiam, quam vetustatem venerari debeam, itemq; in vers. *Arabica* non reperitur: sicuti etiam v. 17. particula  $\text{ἰ}$  quæ tamen similiter in omnibus *Codd. Syris*, luci datis, hodie conspicitur, licet textus *Græcus* non exhibeat. Omittit quoq; *Syrus* edit. Vulg. nonnulla, quæ tamen *Codd. Græci*, imò & *Arabs* sistit, uti v. 20. nomen  $\text{ἰ}$ , quod ipsum tamè etiam *Codex Aldorff* ostendit. Similia etiam de *Arabe* adferri possent, si hoc nunc ageremus.



LXXIV. Tertium, de quo inter nos & Pontificios hodie in presenti palæstrâ disceptatur, est, ut dixi, *num verba βόσκειν & ποιεύειν* (quæ, ut benè notat *Jansenius*, non significationis alicujus grâtiæ, sed tantummodo elegantia causa verisimile est variatione aliquâ hic adhibuisse, cum unum idemq; denotent) Politicum aliquod regimen, quo Papa, Petri hîc exemplo semunitum esse confidens, indirectè, ut *Bell.* loquitur, sibi arrogat, importent. Nos negamus, Pontificii adfirmant: multusque est in hâc re tum ex hoc loco, tum aliis rationibus probandâ Curia Romanæ advocatus meritissimus *Rob. Bellarminus*, cujus cum rationibus abunde satisfactum sit à nostratibus & Calvinianis (vid. *B. Par.* Tom. VI. §. 312. it. *Comm. de R. Christi* p. 382 & seqq. *Dn. D. Calixtus* Con. lib. VII. c. 6. *Chamier* Tom. II. *Panstr.* lib. 11. c. 12. *Sutliv.* de Pontif. Rom. lib. II. c. 5. p. 146. *Amesius* Bellarm. *Enerv.* lib. 3. c. 2. th. 15. *Casaubonus* *Exercit. ad Baron.* 133.) immò & ipsis Pontificiis nonnullis, Vid. eruditissimus tract. *Guil. Barclaji* de *Petestate Papæ*, nolumus hîc repetere. Parastatam quidem *Bellarmini* hîc sese insignem præstare admittitur *Contzenus*, sed nihil novorum profert armorum, sed contusa iterum in palæstram adducit, & quàm ineptus sit athleta, Doctis prodit. Nolumus quidem Calvinianorum, quibus cum videre *Contzen* minatur, partes suscipere, adferere tamen hîc nulli dubitamus, *Contzenii* arma illos non ferire. Licet enim iidem concedant, *ποιεύειν* aliqu. præter pasturam, curam aliam atq; tutelam comprehendere, immò etiam, qn de Magistratu adhibetur, Politicum regimen (quamvis etiam tum magis amorem, quàm dominium indicet) notare, non tamen sequitur, etiam hoc loco, quando de Ecclesiasticâ curâ sermo est, politicum s. civile regimen importare, & Ecclesiasticum regimen eò se extendere, ut Papa Reges & Imperatores de solio deturbare possit, qn. morem eidem gerere nolunt, quod praxis in Papatu, magno Ecclesiæ damno, ut Pontificii ipsi adfirmant, loquitur ubertim. *Rege non gladio externo, sed virga pastorali*, benè scribit *Ferus* ad h. l.

LXXV. Sed mittemus tandem Papam cum regno suo monarchico, & quid Dominus noster Petro, & sub hujus nomine reliquis etiam Apostolis eorundemque successoribus gaudii in hoc mundo promittat ac polliceatur, videbimus. Licet enim  
non

non omnes fideles Ecclesiæ ministri mortem & vincula propter Christi confessionem sustineant, quapropter etiam cruentæ mortis prædictionem ad solum Petrum hic spectare, concedimus; attamen negare nemo poterit, præclarum in Petro speculum, ovium Christi pastoribus, quales sunt cuncti fideles Ecclesiæ ministri & DEI oeconomi, ostendi, in quo eleganter exhibeatur, quid in ministerio suo quærere & expectare debeant: nimirum adversitates mundi & Diaboli odium. Numquid enim pollicitus est Christus Petro lucra magna, opes, honores, voluptates? minimè! hæc enim qui ex Pontificatu requirit, dignus non est Pontificatu, (immò nec ullo in Ecclesiâ ministerio) rectè omninò scribit *Barrhadas* Jesuita: qui non minùs benè etiam subdit; *honorificari ministerium, non cultu vestium, non equorum fastu, non amplis ædificiis; sed ornatis moribus, studiis spiritualibus, operibus bonis &c.* ex *Bernh. adde Conciones, exhortationes atq; admonitiones charitate plenas; prælatorum enim* (immò etiam Papæ) *ministerium valdè honorificant.* Nescio profectò, num meliores quis leges & sanctiores Pontifici Romano ac purpuratis ejusdem satellibus præscribere potuisset, his, quas *Barrhadas* tulit.

LXXVI. Juramenti si non, certè constantis asseverationis notam esse, bis repetitam particulam ἀμὴν, statuimus. Hæc v. cur Christus, qui tamen est ipsa veritas, utatur, causam reddit *Cyprianus*, cujus verba vid. apud B. meum *Par. Comm. de Pass. Chr. p. 735.* Ebraicæ v. originis dictionem hanc esse, nemo non novit. *Syrus* eandem quoq; sed terminatione Græcâ plerumque retinet in N. T. ubi in Græco textu est ἀμὴν, sic etiam *Arabs*, (qui tamen particulâ hæc non nisi in fine ferè ac medio sententiæ utitur, adhibens aliàs קחלה) addendo tamen ultimæ litteræ *fatha*. At *Æthiopes* prorsus hîc accedunt ad pronunciationem Ebræam, sicuti quoq; *Germani & Latini*. Adeò verò prædicta hæc adseverandi particula in primitiva Græca & Latinâ N. T. Ecclesiâ usufuit recepta, ut omnes fermè preces istâ, populi responsione confirmarentur, adprobarentur, clauderentur, quod Ebræos quoq; in suis agere precibus, ostendunt *Dilberrus* lib. 2. Elect. C. 20. & *Ang. Caninius* disq. 2. in N. T. Nec aliter *Æthiopes*, quod è MS. quem possideo, Precationum Abyssinensium libello, satis liquet: de *Syris* etiam hoc probè constat è *Rituale* eorum, à *Severo Alexandrino*

*drino Patriarchâ* adornato, ac seculo superiori à *Gvidone Fabritio Boderiano* luce donato. Nos verò Germani meritò quoq; eandem ut ut peregrinam, retinemus, cùm sciamus è I. Cor. 14, 16. jam tum ipsorum Apostolorum tempore Ecclesiam Græcâ ad Sacerdotis benedictiones per *Aulu* respondiſſe. Vid. *B. Par.* not. ad cap. 1. prior. ep. ad Tim. p. 27. An verò eadem dictio juramentationem quondam obtinuerit hodieq; Germanicum *Warrlich*, quod illius loco *B. Luth.* in vers. adhibuit, inter Philologos æquè ac Theologos controvertitur. Vide *Fullerum* Miscell. S. lib. I. C. 2. Dn. D. *Job. Tob. Major.* in de *Juram. Orient. disp.* Dn. D. *Menger.* Informat. Conscient. Domin. Jud. quæst. 4. Ut ut verò ponamus ex particulâ hujus usu evinci non posse, Christum jurasse, quod tamen è Cap. 6. v. 13. epistolæ ad Ebr. collato cum Matth. 5, 18. Dn. D. *Brochm. B. meus Parens* aliq; ex nostratibus Theologis colligunt, constat tamen ex aliis V. ac N. T. locis & exemplis, juramenta non absolutè esse à DEO prohibita: sed certis in casibus adhuc concessa. contra *Essæos* ac *Manichæos*, it. cont. *Anabaptistas* ac *Franciscanos*.

LXXVII. Eâdem hâc adseverandi particulâ utitur quoque Christus Matth. 26, 34. Ubi abnegationem ejus Petrum commissurum, fuit vaticinatus. Colligunt hinc quidam, Salvatorem nostrum, dum eâdem hic prædictæ vocis repetitione utitur, indicare Petro voluisse, adeò certò vaticinium hoc de martyrio in eo impletum iri, quàm illud de abnegatione in eodem fuit impletum. Non propriis tamen, sed metaphoricis verbis vaticinium hoc conceptum: nec certam etiam mortis violentæ speciem h. e. crucifixionem ex verbis: *ἐπιτενείσῃς τὰς χεῖρας σου, καὶ ἄλλος σε ζώσει, καὶ ὅσους ὅπου οὐ θέλεις*, colligi immotè posse, adserimus: cùm *manuum extensio & constrictio* etiam in aliis mortis violentæ generibus locum habere soleat. Contra *Maldonatum*, *Contzen*, *Barbadam* aliosque nonnullos Pontif. quibus tamen *Estius* minimè hic pollicem premit. Nec tamen propterea id è verbis citatis firmiter probari posse, negamus, ac si Petrum Romæ sub Nerone crucifixum fuisse, adeò pertinaciter inficias ire velimus, quod *Maldonatus* itemq; *Barbadas* sibi imaginantur, cùm ipsi statuamus, non absurdè dici: verbis *ἀπολθῆναι μοι* ad violentæ mortis speciem s. crucifixionem Christum forsan respexisse, sed quia

G verba

verba subsequētia ποίω γενάτω &c. in genere etiam de morte violentā intelligi queunt. Id verò negamus, verbis ἀπολούθει μοι Christum indicasse, *Petrum Pastoris officio eum secuturum* h. e. vicarium ejus summum in terris extitutum, *Contra Barryb.* quo cum cernat etiam, quomodo in gratiam redeat sociennus ejus *Mald.*

LXXIX. Licet verò non nolens mortem pro Christi confessione gloriāq; Petrus subierit, utpote qui, *Eusebio* lib. 3 H. E. c. 1. tēte, tantā animi magnitudine suscepit crucem, ut voluerit capite *interram demisso & inversis vestigiis crucifigi, indignum se dicens, qui eo modo crucifigatur, quo Christus crucifixus est.* attamen, si carnem, h. e. infirmitatem humanam, quæ mortem, *utiliter hoc disponente providentiā divinā, uti eximie allatā causā id ostendit Chrysostomus,* veretur, quem tamen timorem Spiritus robore (sicuti enim Christus carnis & nature affectum vicit, ita & nos eundem affectum vincere & dedit, & docuit, ut benè monet *Ferri*) Petrus superavit, confideramus. rectè de eo Christus dicit: ἀλλ' ὁ σὲ ζώσει, (*Syrus & Arabs* tūm hīc tūm paullo antè, specialem corporis partem hīc indicant, reddunt enim: *accinget tibi lumbos tuos*) ἢ ὅσει ὄπ' & ἡλείς.

LXXIX. Egregium verò & quovis ære perennius epitaphium, quod martyribus DEUS statuit, quòd nimirum illorum mors, coram mundo contemnisima, sit ΔΟΞΑΣΜΟΣ ΤΩ ΤΘΕΩ: sicuti ex hoc Christi de Petri martyrio effato discimus. Non tamen propterea existimandum est, quasi per mortem sanctorum DEUS aliquid accipiat, quod ei non debeamus, & per consequens vitam æternam, ut meritum sancti recipiant, ceu Operum suorum exaggeratores ac venditores Pontificii statuere solent. Nequaquam! Diversum enim innumera S. Scripturæ effata testantur, quæ omnem nostram justitiam ac salutem, fidei, pretiosissimo ac infinito Christi merito innitenti, unicè adscribunt: nostra quippe opera omnia, quæ in DEI honorem præstamus atq; adeò ipsa etiam mors horribilissima, quæ veritatem verbi cœlestis obfirmamus, omniaq; mundi hujus bona illi postponenda publicè testamur, imperfecta sunt, iterum Script. S. attestante, quī igitur vitam æternam vel nobis, vel aliis promereri potis erunt? Nec merentur quoq; Sancti DEI homines martyrio suo, ut ob illud eos adoremus, in adversitatibus invocemus, vel in illorum reliquiis fiduciam aliquam collocemus, quod per-

quàm

quàm ridiculè in Papatu fieri videmus: Nec probabit *Contzenius* communem hanc praxin papalem ex patrum, quos adducit, testimoniis.

LXXX. Audiens Petrus hanc de morte sua, quam violentam expectare necessum haberet, prædictionem, non fuit præterrefactus, sciens quippe s. recordatus effati Magistri sui Matth. 16, 24. v. 21. Cùm verò nosset, Christum magno etiam amore Johannem prosequi, inde videns eundem quoq; adesse, nimis curiosè quærit: ἔτος δὲ τί; sc. πείσεται, quid patietur, quem habebit exitum? num & ipse eadem nobiscum mortis viâ gradietur, qui eadem mecum te diligit dilectione? ut rectè supplet *Jansenius*. non v., quòd, cùm sciret sibi uni commissam jam esse omnium ovium curam, dubitaret, quid igitur *Johanni* & cæteris esset jam agendum, ut ex falsâ hypothese imperitè colligit *Billarminus*. Quod autem *Johannes* tùm hic, tùm alibi quoq; commemorat, se à Domino dilectum, id non ad jactantiam facit, sed ut tanto beneficio gratus existat, &c. quandoquidem nulla sua merita commemorat, sed tantum Christi dilectionem, benè observat *Job. Ferus*. Observent quoq; idem reliqui Pontificii, in operum suorum meritis nimium quantum ponentes, eademque præter dignitatem exaggerantes.

LXXXI. Intempestivam verò fuisse Petri de Johanne sollicitudinem & ut cum *Jansenio* loquamur, curiositatem superfluum, v. 22. patet è severo Christi responso ἐὰν θέλω αὐτὸν μένειν ἕως ἐρχομαι, τί ποῦς σε; i. e. si eum volo manere, donec veniam, quid ad te? Hanc allatam versionem requirit textus Græcus authenticus, adprobant Græci expositores, it. antiquissimus *Paraphrastes Syrus*, sicuti & *Arabs*. Omitto illa testimonia, quæ veritate impellente ipsi Pontificii *Maldonatus* & *Estius* pro verâ hâc interpretatione & Lectione suppeditant. At in quibusdam saltim Versionis vulgatæ Lat. exemplaribus à R. P. adprobatis, legitur, sic pro si (de teruiâ lectione, quæ habet si sic, non opus est multis disserere, cùm iisdem rationib9, quib9 V. L. oppugnari possit: ac vana omninò est eorû conjectura, qui putant initio scriptum fuisse Græcè, εἰ ἔπω, quibus miror, *Bezam* adstipulari.) Quæritur itaque, quæ lectio melior. illane quæ cum constante lectione omnium Codd. *Græcorum* exactè consentit, antiquâ paraphrasi *Syriacâ* & *Ambicâ* convenit, quam contextus requirit, omnes Patres &

& expositores Græci, quod ipsi saniores Pontificii hanc abnuunt; adprobant, itemque eruditissimus Patrum Latinorum Hieronymus, uti prior; an verò, quæ his *τὴν ἐπιτομὴν ἀπὸ τῆς ἐπιτομῆς* destituitur, solâq; Pontificis Romani auctoritate, quam pedarii Concilii Tridentini sequuntur, stabilitur, videl. posterior. Mirè hinc sese torquent inter Pontificios, qui paullo rectius, quid de sanctis fontibus sentire debeant, edocti sunt, quomodo correctâ Biblia Latina, ita vocat *Contzenius* corruptissimam illam versionem vulgatam, quam *Sixtus V.* Papa Romanus ut authenticam & emendatissimam edi, & à Concilio Trid. proclamari curavit, cum priori conciliare queant. Sudarunt in palæstrâ hanc *Gordonus Huntlaus* (quæ uti egregiè in aliis vicis palæstris, ita in præsentis etiam penitus debellavit *Dn. D. Glass. Phil. S. lib. IV. p. 841.*) *Contzenius, Barrhadas*, alii: sed eis *ἀνεμὸν* eodem laborasse, facilè esset, si chartæ angustia non prohiberet, demonstrare. Alii igitur rectius *erroris* Sixtinam illam, quam tamen, utpote authenticam scil., *nullo prætextu*, nisi fulmen Conc. Trid. sentire vellent, *deserere* debebant, arguunt. *Miratur* quidem saltim *Estius*, quæ ipsius est erga sedem Romanam modestia, *Biblia Sixtinæ editionis retinere: sic*. At paullo clariùs mentem suam aperit *Maldonatus*, acerrimus aliàs Jesuita ac throni Pontificii defensor, utut alicubi profiteatur, *nihil se unquam à Pontif. Rom. habuisse, nec etiam habere velle*, (quod credat Judæus Apella, non ego.) quæ de Sixtinâ Lectione scribit: *quòd in omnes ferè* (vide, *Maldonate*, quî socienno tuo *Jansenio* hinc contradicas, qui pleròq; *Codd. SI* legere testatur) *Codd. Latinos pervaserit, eosq; incredibili Scriptorum negligentia contaminavit, nullâ prorsus specie probabilitatis &c.* Cur igitur, *Maldonate*, incredibilem hanc Scriptorum negligentiam non correxere *Pp. Tridentini*? cur negligentem hanc scriptionem *Sixtus* optimam, immò *authenticam* pronunciavit? cur adhuc tam pertinaciter nonnulli è tuis sociis defendunt? Audiamus & ingenuam *Jansenii* confessionem; *Legendum esse si, & non sic, ut multi tamen libri corruptè habent, meritò adeò certum esse debet, ut de eo contendere, protervi esse videatur, qui inveteratum errorem agnoscere nolit, aut agnitum corrigere.* Ipse quoque *Contzenius*, postquam diu, quî corruptam hanc lectionem cū textu Gr. in gratiam redigere posset, frustra laborasset, tandem fateri fuit coactus, *nullo modo*

*modo adverbium similitudinis esse retinendum.* Hæ tuæ, Sixte, oves!  
hi agni vocem tuam audiunt h. e. versionem, quam authenticam  
pronunciasti, sequuntur!

LXXXI. *Καὶ τὸ ἐν καὶ ἔτι:* notum est inter Græcos prover-  
bium. cujus effati veritatem hîc quoq; perspicimus. Irreperat,  
ut modo ostensum, in Codd. quosdam scriptorum vitio pro *si volo,*  
*sic volo:* ansam iterum dedit malum hoc alio malo, variisque erro-  
neis de Johanne sententiis, dum alii dixerunt; *Johannem non fuisse*  
*mortuum, sed cum Enoch & Eliâ in paradysum translatum,* alii aliter;  
uti prolixè referunt *Barrhadâs, Maldonatus, Corn. à Lapide, Estius &c.*  
Licet n. statim Apostolorum tempore inter fratres de Johannis o-  
bitu sermo ambiguus ortus fuerit, ac scrupulus è verbis Christi mo-  
tus, exemit tamen illum Evangelista v. 23. dum ostendit, Christum  
non *categorycè* sed *conditionatur* fuisse locutum. Intelligimus verò  
per *μὴν* permanentiam in hâc vitâ, ac non mori, quod omninò e-  
tiam Johannes v. alleg. 23. indicat. contra *Estium* non v. *perma-*  
*nentiam in hoc loco, ubi erant: quasi diceret Christus: volo eum ma-*  
*nere hic, & non mitti tecum in totum terrarum orbem ad docendas o-*  
*mnès gentes,* contra *Chrysostr. & Theoph.* si modò hæc illorum est sen-  
tentia, quod *Maldonato* videtur; nec etiam *permanentiam specia-*  
*lem à morte violenta.* contra *Maldonatum;* quemadmodum per *ἑωσ*  
*ἐρχομαι* secundum Christi ad Judicium universale adventum.  
contra illos, qui de *adventu metaphorico,* ad excidium sc. Hieroso-  
lymitanū, accipiunt. Nec placet etiam *Feri* expositio, qui de *ad-*  
*ventu ad Johannis mortem* interpretatur, quod *Heinsius* quoq; facit,  
multaq; eruditè in hanc rem disserit, nobis tamen iisdem non per-  
suadens, ut nostram sententiam deseramus.

XXCII. Ex eo, quòd *οἱ ἀδελφοὶ* minùs dextrè Christi verba  
interpretati fuerint, colligit *Contzenius,* magnòq; nobis documento  
esse adserit, *parùm prodesse verbum seu scriptum seu predicatum,*  
*nisi legitima illius sententia teneatur.* Benè quidem hoc, si verba spe-  
ctes, sed mentem si Jesuitæ consideres, & ulterius, unde sententia  
haurienda, inquiras, non hanc obtinebis responsionem, quòd ex  
verbo Dei, sed quòd ab Ecclesia Pontificia ejusdemq; Capite P. R.  
Scripturæ sensus sit hauriendus. At contrarium ostendit h. I. Jo-

hannes, qui falsam hanc discipulorum s. fratrum acceptionem, verborum Christi, non ex Petri vel aliorum, qui tum aderant Discipulorum explicatione, sed ex ipsis Christi verbis refutavit & correxit.

v. 24.

XXCI. Maximum v. tum de hujus, quod Disputatione praesente consideravimus, miraculi, tum etiam totius Evangelii, quod Johannis nomine gaudet, veritate testem! Discipulum quidem, sed Christi; quem dilexit ipse, & qui summè quoque ab eo dilectus fuit, qui in cœna recubuit super pectus Jesu, in hoc v. πάντες οἱ Ἰσραυροὶ τῆς σοφίας καὶ τῆς γνώσεως ἀπόκευφοι Col. 2, 3. talem testem, qui eorum, quæ tradit, vel αὐτοπῆης extitit Joh. 19, 35. vel ex sinu Magistri hausit 1. ep. 1. in scribendo verò Spir. S. fidelis amanuensis extitit. Hic μαρτυρεῖ πρὸς ἡμᾶς, juxta mandatum Christi Joh. 15, 27. hic γέγραφε τὰ ῥηθῆ. Annon etiam Christo jubente? imò! Appage igitur Bellarmine, Costere, Lindane, Vosque cœteri traditionum institores, qui Apostolus ex DEI instituto scripsisse, protervè negatis. Annon jussus est noster: γράψον Apoc. 1, 11. & 19. C. 2, 1. &c.

XXCII. Nec falsam vel dubiam μάρτυρ hic μαρτυρεῖαν: sed ἀληθινὴν veram ac fide dignam, uti vox hæc v. 13. C. 8 hujus Evangelicæ sumitur, edidit; nec potuit etiam aliter, fuit enim ὑπὸ τοῦ Θεοῦ ad officium hoc προεκεχειροτνημῶν Act. 10, 41. fuit θεόπνευστος καὶ θαυμαστός καὶ μαρτυρ, unde rectè quoque à Veteribus Theologis Φιλαλήθης dictus fuit, falsum igitur testimonium ferre non potuit, nec erroribus etiam in Doctrinâ fuit obnoxius, contra Porphyrium & Weigelianos. Nec tamen acquievit tantus testis, suo tantùm nomine illud adfirmare: sed vel aliorum Discipulorum, illorumq; qui unâ cum ipso cum Christo fuere conversari, vel totius Ecclesiæ personam etiam induit, dicitq; οἶδα μὲν (quomodo constanter Codd. Græci, Interpretes Syrus, Latinus, itemq; Arabs legunt) scimus, quòd &c. Miror v. cur quidam, nullius Codicis vetusti Græci fide suffulti vel auctoritate, pro οἶδα μὲν reponant οἶδα, cùm pluralis numerus omninò locum habere hîc commodè queat, ut ut non ad Ebraismum cum Beza referamus, & sic Photinianorum Canonem falsum de enallage pl. pro sing. in personâ primâ, honoris ergo, confirmatum demus.

XXCIII.



XXCIII. Etsi autem *ἀλλὰ πολλά ἔστιν, ὅσα ἐποίησεν ὁ Ἰησοῦς*; v. 25.  
tempore scilicet, quo cum Apostolis suis ante & post passionem  
suam egit, noluit tamen Spiritus S. singula illa per Amanuenses  
suos Evangelistas & Apostolos nobis tradere, cum ut tadio, quod  
ex librorum mole oriri solet, occurreret, tum etiam, quia hæc,  
quæ in Script. S. nobis tradita sunt, ita comparata sunt, ut credentes  
*illis vitam aeternam habeamus in nomine Christi Joh. 20. vers. ult.* Ne-  
quaquam v. ad traditiones verbis hisce Johannes nos remittit, è  
quibus, quod Scripturæ S. desit, suppleri possit, debeatque, uti  
Pontificii somniant.

XXCI. De illis v. verbis, quando Joh. de Christi factis dicit,  
quod si *καθ' ἐν* scriberentur, *ἐδὲ αὐτὸν πῦν κόσμον χωρῆσαι τὰ γε-  
φώδρα βιβλία*, variæ sunt auctorum sententiæ; alii enim cum *Au-  
gustino* tr. 124. in Joh. *Pelus.* lib. 1. ep. 159. *Theophylacto*, *Lyrano*,  
*Glossa ordin. Sc.* non ad locum, sed animos hominum s. intelle-  
ctum humanum Johannem respicere putant, ut enim *χωρῆσαι*  
idem sit, quod *νοῆσαι*, quò collimat etiam *Origenes* & *Ammonius*,  
quibus *Barthius* ad stipulatur, qui de scribendorum *majestate* & *di-  
gnitate* accipiunt. alij cum *Hieronymo* in C. 21. *Matth.* itemq; *Ni-  
cephoro* lib. 1. C. 24. de mundo infideli saltim i. e. impiis intelligunt;  
& hi non hyperbolen saltem, sed geminam insuper metonymiam  
statuere hinc coguntur: quid? quòd si de impiis saltim & infideli-  
bus hinc sermo esset, nec illa, quæ scripta extant, capere possint dici.  
adde, quòd Johannes non de *dogmatibus fidei* hoc dicat, sed de *mira-  
culis*, quod rectè colligit *Beza*; nec etiam de *mysteriis* adhuc *altiori-  
bus* quod *Cass. Barthius* lib. 41. *Advers. C.* 24. sentit. *Camertarius* e-  
tiã illud apponit, quòd *χωρῆσαι* idè significet, quod *mensurâ capere*.  
alii itaque cum *Chrysostomo*, *Euthymio*, in C. 21. *Joh. Cyrillo* lib. 12.  
C. 68. de ipsâ mundi machinâ accipiunt, & hyperbolen, (non ta-  
men *immanem*, *novam* & *inusitatam*), quod *Heinsius* sibi persuadet,  
novamq; loci hujus expositionem multis profert *Exer.* p. 240. hinc  
concedunt, quibus & nos subscribimus? Quamvis enim multi  
gravissimi Theologi, quibus & *Barthius* hinc sese adjungit, hy-  
perbolen in Scripturâ fugiant: nescio tamen, cur, cum Ironiam,  
allasque figuras Rhetoricas in divinis litteris concedamus, non  
hanc:

hanc quoq; figuram in iisdem agnoscere velimus. cautelâ tamen  
adhibitâ, quam tradit Dn. D. *Glaß*. Rhet. S. p. 468. *ut nim. non è πῆρὸν*  
*sed δίαφοια* in ejusmodi locutionib. spectetur, & quòd nullû in sit fallendi  
propositum, nec dicendi falsum voluntas &c. statuatur: ac alia obser-  
ventur, quæ ibi à laudato Theologo adducuntur. Cujus Viri accu-  
ratissimæ hujus loci expositioni, quæ l. c. p. 476. legitur, verbum  
addere nolo: Sed nunc tandem,

Ad portum propero, videat cum littora navis,  
Atq; DEO meritas depromo pectore grates!

F I N I S.



05 A 444

ULB Halle

3


004 208 935



WOM







I. N. J.  
DISPUTATIO EXEGETICA  
*In*  
CAP. VIGESIMUMPRIMUM  
& ULTIMUM EVANGEL.  
D. JOHANNIS.  
PRÆSIDE  
DN. WILHELMO LYSERO, D. & P. P.  
*placide ventilationi exhibita*  
à  
M. JOHANNE ERNESTO GERHARDO, Jenense.  
*Ad diem 30. Septembris, loco & horis*  
*consuetis.*  
WITTEBERGÆ  
Litteris Johannis Köhneri, Acad. Typogr.  
Anno M. DC XLVI.